



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN


# **Sacrarvm Antiqvitatvm Monvmenta**

**Hillesheim, Ludwig**

**Antverpiæ, 1577**


---


[urn:nbn:de:hbz:466:1-68887](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68887)



X  
VII 27.

Th. 5809.





SACRARVM  
ANTIQUITATVM  
MONVMENTA;

PATRIARCHARVM, REGVM, PRO-  
PHETARVM, & virorum verè illustrium  
veteris Testamenti, Imaginibus & Elogiis  
apparata atque inscripta:

*Auctore*

LYDOVICO HILLESSEMIO  
ANDERNACO.

*Collegij Societatis JESV Paderbornae 1636.*



ANTVERPIÆ,  
Ex officina Christophori Plantini,  
Architypographi Regij;

M. D. LXXVII.

MVTATIVITATVM  
ANTIQVITATVM  
MONVMENTVM

PATRIARCHARVM REGVM PROPHETARVM  
ET C. CITIA CHRISTOPHORI PLATINI ARCHITYPographi  
REGIJ VOLVNTATEM

**SVMMA PRIVILEGII.**

REGIÆ Maiestatis priuilegio cautum est, ne quis *Sacrarum antiquitatum monumenta, Patriarcharum, Regum, Prophetarum, &c.* citia Christophori Plátini Architypographi Regij voluntatem, intra octo annos, imprimat, vel alibi impressa importet, distrahat, venaliãve habeat per omnes eius ditionis fines, sub pœna confiscationis, & graui mulcta: vt latius patet in litteris datis Bruxellæ vicesima Augusti, Anno M. D. LXXVI.

Signat.

*Iac. Blyleusen.*

CHRISTOPHORI PLATINI  
ARCHITYPographi  
REGIJ VOLVNTATEM

AD ILLVSTRISSIMVM  
PRINCIPEM AC DOMINVM,  
*D. Albertum Comitem Palatinum, Rheni  
superioris & inferioris Bavarie Ducem,  
in sacrarum antiquitatum Monumenta,  
Ludouici Hillesemij Andernaci*

P R A E F A T I O.

**N**TER omnia quæcūque aut natura sua aut perfectione excellētia visendaq. sunt, nihil est præclarior atq. illustrius humana mente: tum cum in diuinam illam æternamq. mētem intuetur, seque ad eius imitationē conformat. Cum enim in Dei veritatem, & omnem cogitationis sensum exuperantē maiestatis splendorem aciem intēdit, moderatione ac religione ea qua fas est, idem ei atque etiam plenius multò quod Mosi euenit, cuius vt ex aspectu diuino facies resplenduit, ita illa quoque beatissima cōtemplatione illuminata, ad omnē religionis ac pietatis claritatem illustris fiat. In quo perfecta & absoluta imago, ac diuinę rationis effigies est, quæ ingenerata homini se ad adorandam & colendam illam omnipotentem vim tota mente omnibusque sensibus conuertit. Nam, & Deum ex lege eius diuina contemplatur, & cælestium mandatorum ac iudiciorum ordinem religiosè sequitur, & operā dat, vt, quoad fas est, proximè accedat ad similitudinem sui effectoris, cui se  
† 2 †  
studiāque



studiâque sua addixit ac deuouit. Hęc dignitatis  
inæstimabili splendore referta forma in iis spe-  
ctatur & elucet, qui Deo dediti in eum solū re-  
spiciunt, vimq; omnem naturæ, quanquam pro-  
pter auitum primorū parentū delictum languē-  
tem, tamen beatę redemptionis Domini ac Dei  
nostri I E S V C H R I S T I beneficio ad functio-  
nem cęlestis luminis ita referunt, vt eius partici-  
pes fieri per ipsius misericordiam possint. Quā-  
obrem vt sol iste oculis, ita Deus mentibus eorū  
lucē adfert, eosque splendore diuino perfundit,  
vt cū in eius amore & cultu omnia ponāt, Dei  
similitudinem incōtaminatam retineant: ac iu-  
stitiæ diuinæ viam sequentes in cęlum inferre se  
possint. Hoc tantum, ac summę atque veræ bea-  
titudinis immensitate redundans bonum, oculi  
profanæ multitudinis intueri, quia nolunt, non  
possunt. Graues enim vitiis mentes, & animi fe-  
nestras illi omnia inuitanti atque illuminanti  
splendori occludunt: eique diffidentię maleuo-  
lentięq; velum obtendunt. Ita pestilēs errorum  
caligo diuinum illis adimit cōspectum. Non illi  
aut Deum aut supera intuentur, ad terram dege-  
neres abiiciunt animos, corporū partem, quæq;  
ei tantū bono esse putant, vt cætera bruta, ani-  
mantēque aliæ sequuntur: atque ita cupiditatū  
noxiarum tenebris ac nebulis circumfusi, lucē  
illā ferre, aut in eā inspicere nullo modo queūt.  
In his ergo qui nec Deum contemplantur, nec  
aditū ad se veræ scientiæ relinquunt, ingenerata  
à Deo imago non apparet. Nam & formā illam  
cælestem

Ioan. 1.

cælestem amittunt, & creationis suæ ordinẽ de-  
ferunt, & impiam ineunt cum immundis spiri-  
tibus societatem. Ita aliena in illis similitudo est  
ignara muneris atque officij sui, verę rationis ex-  
pers, & falsa via insistẽs. Atque hi etiam nõ eum  
ducem sequuntur, qui initio rerum homines in  
tenebras errorum induxit, vt à bonitate naturæ  
deflecterent ac degenerarent. Hæc stirps peccati  
veneno infecta, nunquã ad beatam vitã fruticat:  
abdicata à Deo, cuius aspectũ impiẽ auersatur &  
excludit. Atq; hinc inuectum est in orbẽ omne  
malum: nec vlla grauiore peste vita conflictatur  
& perturbata est: ira Dei manifestò in iis appa-  
rente, qui gloriã illam, diuinamq; lucem ingratẽ  
& nefariẽ aspernantur. Quãobrem vt in his nul-  
lus splendor, nullius boni adprehensio est, ita in  
illis admirabili luce illustria, & diuina claritate  
exornata omnia sunt: atque ad summæ felicita-  
tis perceptionem ita accommodata, vt non ad  
ipsum solum bona redeant, verũ etiam vniuerso  
orbi innumera prosperitatum seges semper ab  
iis enata sit, & in omnem ætatem exũdarit. Cir-  
cumferamus oculos toto orbe terrarum, qua sol  
oritur & occidit, qua ad Meridiem vergit, inque  
Septentriones inclinat, omnes terras scrutemur,  
atq; vniuersam naturã, ætatũ omnium ac secu-  
lorum decursus, vetera & recẽtia perlustremus,  
intuebimur ceu in speculo, ac clarẽ perspiciẽ-  
mus, quàm detestãda & caduca, & omni caligi-  
nis deformitate obscurata malorum species, bo-  
norũ contrã splendor inenarrabilis sit, seque ad  
† 3. omnem

omnē pulchritudinis ac dignitatis præstantiam  
extendat. Quòd si ea quæ in varietate immensa  
posita sunt, hanc in animos nostros speciem in-  
ducere difficulter possunt, spectemus sanè non  
regnū aliquod aut ciuitatē, sed hominem vnū,  
cum aut bene, aut non bene comparatus est, cō-  
templemur. Ponit res omnes actionesq; suas in  
scelere, & flagitio, & ambitione vir malus, tur-  
getq; ita animo, vix vt ipsum se sustinere possit:  
ac quasi in cælum ora impia protendit. Prolabi-  
tur ad amarulentiam & crudelitatem. In perpe-  
tua sollicitudine est, nec vnquam satiato aut cō-  
tento animo viuit. Versatur in deliciis vitæ, re-  
fert omnia ad se: atque vt luxuriæ suæ instru-  
menta suppetant, ad aliena iniustas & auaras  
manus porrigit: nulli vt per eum pacato liceat  
esse. Ita eū cupiditates noxiæ trāsuersum agunt,  
impelluntq; ad extremum in certum exitium,  
euanescente momentanei splendoris aurula at-  
que vmbra: vt præter inanitatis deforme simu-  
lachrum, nihil eius aut supersit, aut reliquum  
fiat. E diuerso vir iustus vitam omnem cum vir-  
tute & honestate agit, alieno est abs turpitudine  
animo, humiliter se gerit ac demissè, mansuetu-  
dinem & lenitatem in omni re adhibet & colit;  
supplicat Deo, eiq; mentis suæ ac corporis ge-  
nua nunquam non inflectit; reueretur Deum,  
& ad eum omnia refert: frugi est, & misericor-  
dia vtitur erga homines egenos, eosq; quibus-  
cunque potest rebus, auxilio & consilio iuuat:  
ac tantum abest, vt cuiquam molestiam iniu-  
riamque

riamque faciat, vt etiam tranquillitati ac concordia facultates, vitam atque sanguinem impendat. Atque hæc omnia quocunque illum vitæ fortunæque statu collocarit aut esse voluerit Deus, agit, aduersus omnia quæ accidere quantumuis immerenti possint, obfirmata mente. Ita nunquam cupiditas, semper ratio dominantum in eo obtinet, defixa in auctorem Deum, à quo ei vna salus libera ab summo interitu existit: vt iam eius gloria nunquam euanescente dignitatis specie in cælum sublimis feratur. Quis non igitur agnoscit, ac ceu animo insculptum, & confirmatum quotidianis euentis habet? quàm excellens, ac diuina mentis bene comparatae effigies sit? quantumque impiis iusti præstent? vt cum hac cælestium animorum claritate nihil conferri in terris possit. Atque hic fulgor, vt siderum noctu lucentium splendor, etsi in his tenebris se exerat, tamen tum demum infinite se proferet, cum illi ab hac mortali natura secreti, exuti que corporibus ad cælum ferentur, perfundenturque claritate ea Dei, quam nec oculus hominis vidit, nec auris audiuit, nec animus cogitauit. O ingens æternumque bonum ad quod Esaiæ 64. omnes respicere debent, vt hoc fundamentum salutis suæ ac rerum ponat ipsi, deinde in eo aliis præeant exemplo atque vita, postremo in eius assidua usurpatione ad extremum vsque spiritum ac vitæ finem versentur! Vt ergo in eo genere omnium hominum mentes præclaro spectaculo inuitarem, Imagines sanctorum hominum,

Monumentaque diuinitatis illustria Elogiis inscripta exhibuimus, vt in illis formam effigiemque religionis veram atque certam intuerentur, & haberent ad imitandum ac sequendum: eorumque exemplis ac moribus vitam adornare possent. At quos illa admiratio virtutis non mouet, eos quæ institutio ad religionis sanctitatem colendam adducere possit, non video. Sed ego hanc magna commoda & adiumenta hominibus, & ad vitam, & ad vsum exercitationemque pietatis adferre existimo: vnde ætas simplex Deum incipiat amare ac reuereri: ei pro benefactis gratias agere: eiusque opem & auxilium in malis implorare. Hac vt nulla esse potest præstâtior disciplina, ita hæc exempla omnibus absoluta & perfecta ornamentis homines eò adducere in omni statu vitæ possunt. Accedit eò, quòd cum immensam Dei maiestatem, & iustè viuendi seueriores rationes adolescentia non admittat, nec capere possit, exemplis & narrationibus eorum quæ diuinitus miræ acciderunt, ceu lenocinio quodam inuitetur: positis ob oculos & commemoratis Dei beneficiis, quibus pij homines communiter ac priuatim affecti ab eo sunt. In quo fata vtrorumque, bonorum ac malorum, apparent, quæque in bonos benignitate & bonitate Deus, in prauos & improbos seueritate & iustitia vsus sit: vtque hi quidem iræ diuinæ vasa ad exitium condita sint; illi verò vasa misericordiæ præparata ad gloriam: destinati imaginis filij Dei cõsimiles, & gloriosi effecti, non interitura, sed

Rom. 9.

Rom. 8.

sed immortalem adsequantur coronam. Sunt in 1. Corinth. 9.  
his & obseruandæ illustrium virorum ruinæ, ad  
euitanda ea quibus offenditur Deus, cum ab eius  
voluntate præscriptoq; diuino nefariè discessum  
est: ipsiusque etiam vt seueritatis aduersum de-  
linquentes, ita ad eum conuersos insignia cle-  
mentix exempla perpetuò ad animum reuocã-  
da sunt: vt vero amore accensi atque inflamma-  
ti erga mitissimum parentem, Dominum ac  
Deum nostrum, totos nos ei dedamus, nūquam  
ab eius charitate seiungamus, ipsique vni deuo-  
ueamus omnes vitæ nostræ rationes: vt ipsius  
gratia in sempiternum gubernemur & illustre-  
mur. Quàm diuina autem & alta mysteriorum  
arcanorūque cælestium in illis consideratio  
est! de creatione vniuersi & ordine, de paradiso,  
lignis vitæ, & scientiæ boni ac mali, de promif-  
sione post lapsum diuina: quàm honorifica de-  
signatio Christi in Abele, Isaaco, Melchisede-  
co, Iosepho, Mose, Aarone, Iosua, Samsone,  
Dauid, Salomone? quanta Ecclesiæ in Noa at-  
que cæteris sit! vt interim viua & omni admira-  
tione referta pietatis exempla ne commemorē,  
Abrahami, Mosis, Aaronis, Phinees, Samuelis,  
Dauidis, Hieremiæ, & aliorum, qui ad scelera  
hominum expianda, vota, preces, actiones suas  
omnes contulerunt: obiecerunt se ceu propu-  
gnacula populi iusto Dei furori: ac cum infestus  
suis esset, eius offensam & deprecati sunt, & a-  
uerterunt. Sed vincor numero eorum, in quibus  
diuinæ excellentiæ demonstratio est, ad doctri-  
nam,

2. Timot. 3. nam, ad reprehensionem, ad correctionem, ad iustitiæ disciplinam: vt constare ex iis toto orbi omnibusque gentibus possit, quicquid gloriosum, excelsum, laudabile, expetendumque est, totum hoc in religione habitare: ac iuxta Esaiaë sanctissimi vatis dictum, tenebris operientibus terrâ, & caligine populos super iustos oriri Dominum, & gloriam eius conspicuam ad omnem esse æternitatem.

Audi mea vota mei cordis numen Deus, & hanc gratiam fac supplici tibi, vt in his tenebris malorum ac vitæ ad te suspiciens, lucem accipiam tuæ veritatis ac sapientiæ: qua ducente ex hoc mortis corpore dimissus, ingrediar sanctuarium cæleste tuû, illustratus abs te, tuoque aspectu felix in sempiternum.

Hæc defixa in Deum mente præfatus, cum ad animum referrem, quàm confirmata in mentibus omnium hominum, illustrissime Princeps ac Dux inclyte, amplitudo tuæ gloriæ esset, quæ ceu omnium virtutum complexu, summam diuinæ ac catholicæ religionis constantiam inter hos secessionum motus inoffensè ac iustè tueretur, inductus in eam sententiam sum, vt quæ ad homines sanctos, & iustitiâ opulentos, & omnibus diuinis opibus affluentes celebrandos à me confecta essent, celsitudini tuæ offerrentur. Sed cum eius meæ deliberationis caput esset, an hoc honesta ac verecunda ratione à me ignoto tuæ celsitudini homine fieri posset, quidam magnæ religionis ac virtutis viri, commemorata ac prædicata

dicata singulari celsitudinis tuæ in omnes veræ  
pietatis amantes viros animi propensione, quæ  
& proferretur lōgissimè, seque extenderet, pro-  
positum illud meum ac consilium prorsus con-  
firmauerunt. Itaque defero ad celsitudinem tuâ,  
illustrium Heroum, Regum ac Patriarcharum  
veteris Testamenti laudationes, celsitudini tuę,  
propter eximias virtutes, consentaneum, vt spe-  
ro, munus; atque vt ei, ipsiusque auctori gratiæ  
apud te locus esse possit, demissè oro. Quod si  
impetro, rectè collocata erit ad maiestatis diui-  
næ gloriam, & clementiæ tuæ obseruantia com-  
parata voluntas mea. Andernaci anno salutis  
humanæ M. D. LXXIIII.

IOANNES



I O A N N E S L A T O M V S .

ERGO Hillesemi, qui tanta negotia curas,  
Ac Consulari dignitate patriam  
Et studio, & meritis vir sollertissimus implet;  
Vacat, libetque prata vir virentia  
Musarum teneros legere ac componere flores,  
Et ferta primis hinc parare Patribus?  
Sed quorsum, quaeso, tu quouis maior Apelle,  
Pictas eorum proprias imagines  
Suscipis addendas? de te diffidis? an vllus  
Pictor poëtae penicillum vicerit?  
Si fuerat tibi mens operis nouitate placere;  
Nouum est, profanum hæc præstitisse Consulem.  
Vena deinde placet, placet ars, placet argumenti  
Planè absoluta cum decore castitas.  
Vtrinque es meritis: sed cedat patria; debes  
Potius vacare litteris, quàm patriæ.

QVI petere à mutis virtutum exempla tabellis,  
Scipio quod quondam fecerat ille, solet:  
Hæc voluat veterum monumenta ipsissima Patrum,  
Quæ tibi sunt gemino reddita viua stylo.  
Pictori debes: oculis inseruiit ille:  
Sed quæ picta vides carmina crede loqui.  
Dispice nunc Lector, fluuios num traxerit Orpheus:  
In vitam cineres nunc remeare vides.  
Hoc potuit magnus merito Hillesemius auctor  
Historiæ, & patriæ consulit ille suæ.

H I E R O -

# HIERONYMVS BERCHEMIVS

IURISCONSULTVS LECTORI.

LAUDAS artificis manum periti,  
Qui veros potuit referre vultus  
Patrum: Dædala sic suas in artes  
Mens sese incitat impetu furente.  
At quanto melior pius poëta,  
Qui mutis animam dedit figuris?  
Mellitam, aureolam, piè venustam?  
Hunc fac officii, benignitate  
Ornes sic meritum, pium poëtam.

IDEM AD AVCTOREM.

DVM canis caput albicat pruinis,  
Et lapsu celeri feruntur anni,  
Expectas velut imminentis horæ  
Signum, & sarcinulas legis: suprema  
Ne lux opprimat imparatum. Et omne  
Tempus deliciis, malisq; curis  
Quod perdunt alij, pius bonisq;  
Scribendis benè collocas libellis  
Multis, laurigero incitatus æstro,  
Ut cingant hederæ caput decorum  
Quas verus tibi Cynthus parauit.  
O quid censuerim mage expetendum?

IN

I N O B I T V M C L A R I S S I M I  
L V D O V I C I H I L L E S S E M I I  
viri consularis.

E R G O nostra tuis debetur nenia bustis  
T a m c i t o , l u g u b r i s c a r m i n i s o b s e q u i u m ?  
N e c t i b i i a m t o t i e s s e l l a s e d i s s e c u r u l i  
P r o f u i t , & p a t r i æ c o n s u l u i s s e t u æ :  
N e c t u a c u m p i e t a t e f i d e s s p e c t a t a c l i e n t i  
S e p e t u o , i n d u r i s a r d u a t e m p o r i b u s .  
N a t u r a f a c i l i s n e c q u i c q u a m v e n a b e n i g n æ  
I n u i t , & i n g e n i j t o t m o n u m e n t a t u i ,  
Q u o m i n u s i m m a t u r e s e n e x p a t r i æ q ; t u i s q ;  
A n t e d i e m s u b i t o f l e b i l i s o c c i d e r e s ?  
S c i l i c e t h æ c i l l a e s t m o r t a l i s l i n e a v i t æ ,  
I n l o n g u m h u m a n o s q u æ v e t a t i r e d i e s .  
N i l t a m e n e f f e c t u m p r o p e r a n t i s a d v l t i m a f a t i  
A d m o r s u , d e m t i n i l n o c u e r e d i e s :  
Q u æ r e s n a m q ; f u i t v o t o r u m s u m m a t u o r u m ;  
V i n e t a b e x e q u i i s i n c l y t a f a m a t u i s .

E I V S D E M T V M V L V S .

S I C t e d i a p o t e n t i a  
S e r n e t p e r p e t u u m , s i c t i b i q u i s q u i s e s .  
F e l i c i t e r & a m p l i u s  
E x v o t o S u p e r i t e m p o r a s o s p i t e n t ,  
P a l l e n t e s v i o l a s p i o  
E t f r a g r a n s c i n e r i s p a r g i t o b a l s a m u m .  
H o c v i r t u s t u m u l o i a c e t :  
H o c p a r u o p i e t a s m a r m o r e c l a u d i t u r :  
H o c s a x o t e g i t u r f i d e s .  
H e u m o r s i m p r o b a , q u i d f i d e r a d e r i p i s  
O r b i ? c u r t e n e b r æ p l a c e n t ?  
A n e s t o m n i b u s h o c n u m i n e c a l i t u m

Decretum

Decretum pariter mori?

Nec Vates flunios, legibus inferis,  
Vitant irremeabiles?

Vates, qui Clario sub duce militant?

Hic noster memini quidem

Diuino quoties pollice barbiton

Vates mouerit auream:

Nunc est exigui portio pulueris.

Nunc vox conticuit pia,

Demulcens animos carmine amabili;

Exanguesq; rigent, boni

Heu quondam digiti tangere nablia;

Et conuulsa iacet chelys.

Sed quae fata iubent, quosq; necessitas

Nodos implicat ultima,

Nec fas est homini soluere, si velit,

Nec si fata sinant roget:

Ut nec curriculo Gracia Olympico

Victori lacrymas dabat.

Nervos ille quidem corporis & cutem

Abiecit, spoliium graue:

Qualis qua tenero vulnere concidit

Languescit moriens rosa.

Verum non moritur, quem super aethera

Immixtum Superis legunt,

Atque illinc populi iugiter audiunt,

Quos vel Sol oriens videt,

Vel quos occiduo ab limite conspicit

Condens Oceano caput.

Mors est ingeniis nulla perennibus.

CATALO

CATALOGVS IMAGINVM.

Adam.	Jonas.
Abel.	Iofias.
Abraham.	Ieremias.
Aaron.	Iob.
Caleb.	Iudas Machabæus.
Dauid.	Lot.
Daniel.	Melchisedec.
Duodecim Prophetæ.	Moses.
Enoch.	Michæas.
Ezechias.	Matathias.
Efaïas.	Nathan.
Ezechiel.	Nehemias.
Gedeon.	Noë.
Gad.	Phineës.
Helias.	Seth.
Helifeus.	Samson.
Isaac.	Samuël.
Iacob.	Salomon.
Ioseph.	Tobias.
Iofua.	

I N V O

CATALOG

I  
INVOCATIO.

**H**OC tibi summe Pater terrenis munus ab oris  
 Prona mente fero, dum calii incensus amore,  
 Orbis opus, rerumq; altas ab origine caussas,  
 Antiquamq; Patrum seriem, signata futuris  
 Sacra cano: Isacidum monumenta & fata nepotum.  
 Unde salus magni meritis ac numine Christi  
 Aeterno demissa sinu est, & lege perenni  
 Omnibus est terris, omni firmata sub evo.  
 Hæc aliquis genius superum de sede profectus  
 Conspectum ferat ante tuum celoq; reponat.  
 O mihi si comitem sublimes ire per auras  
 Fas fiet, ac calii stellantia visere templa!  
 Qui tibi me quanquã pauitantem et cuncta timentẽ  
 Sisteret, ah quanto te coram affarer amore.  
 Sed quoniam peragrarè nefas cælestia templa,  
 Terrenis vinctum mortali in corpore membris,  
 Nunc ima tellure iacens, te supplice cultu  
 Alloquar, atque tui curas solabor amore.  
 Ast erit illa dies, quo dulci numinis aura  
 Afflabor, vultuq; tuo lustrabor ab alto,  
 Tunc iterum mens ægra alto se pectore tollet,  
 Deuotaq; tibi semper libamina vitæ  
 Vota precesq; feret: Donec tua summa voluntas  
 Ereptum terris, atque his mortalibus oris  
 Ad calii me templa feret, sedesq; beatas,  
 Letus ubi sacris permixtus cætibus, alto  
 Conspicuum solio venerer, votoq; perenni  
 Dona feram, spes vna mea quæ mente repostæ est.

A            VOTVM

## VOTVM AVCTORIS.

*Mens mea cùm pleno ferretur ad æthera cursu,  
 Ingemuit, fati victa labore sui:  
 Attamen inuitis, fidenti pectore, curis  
 Hæc sunt ad summum vota relata Deum.  
 Vita monstret iter: sancto mea corda gubernet  
 Numine, prasenti me tueatur ope.  
 Sit felix obitus: sit vita à morte perennis,  
 Spiritus æternum plaudat ut ante Deum.  
 Hæc seræ sint fata domus, generisq; futuri,  
 Ut felix Domino seruiat omne meo.  
 Annuat his celo genitor placidissimus alto:  
 Spes rata sic summo nostra futura bono est.*


Mansuro hos vultus pictor ducebat in ære:  
 Ipse ahimum viuis pinxit imaginibus.



A 2 ADAM.



SACRARVM ANTIQVIT.  
ADAM.



Geneseos i. Primus ego à magni formatus origine mundi,  
Humani generis nobile cernor opus.

Cuncta

MONUMENTA.

Cuncta suo postquam diuina potentia verbo  
 Condidit, è prima me quoque finxit humo.  
 Effigiemq; suam, diuinæ mentis ab ortu,  
 Iuraq; per terras, imperiumq; dedit.  
 Addidit & sociam, felicem misit in hortum:

Genesios 2.

Diuina fuerat consitus ille manu.  
 Arbor erat culti mediis penetrabilibus horti;  
 Hac una vetuit carpere poma Deus.

Dictaq; mors pœna est, temerata nocentibus ausis

Genesios 3.

Lex fuit, hanc culpam noxius anguis habet.

Inde graui sors dira malo se fudit in orbem,  
 Et varij nimium triste laboris opus.

Ob scelus admissum subito florentibus hortis  
 Pellimur, exilio terra colenda datur.

Concidit à leta deiectus origine mundus,  
 Cunctaq; posteritas crimina nostra luit.

Sed tua nos pietas, genitor mitissime, celo  
 Respicit, atque noua pectora firmat ope.


Tu sanctum terris promittis ab æthere germen,  
 Vt repares lapsæ nobile gentis opus.

Ignotas hominiqu; vias ad sidera pandas,  
 Diuina soluas crimina nostra manu.

Interea quodcunque æui, sub mole mælorum  
 Degitur, atque animis insita noxa manet.

Succurrit genitor, caelesti germine misso  
 Alma salus magni munere parta Dei est.

Sustulit hic nostra monumenta nocentia culpæ,  
 Reddimur & summo gens rediuiua Deo.



Genes. 4.

*Alter a progenies mundi nascentis ab ortu,  
Sortior innocua munera mentis Abel.*

*Nascitur*

*Nascitur ante Cain, misera spes irrita matri:  
 Ah dolor, ab nostra quanta ruina domus!  
 Ipsa recens tellus primæuo nuper ab ortu,  
 Et cultura expers, & sine fruge fuit.  
 Hanc frater versare manu, proscindere aratro  
 Cæpit, & exculti munera ferre soli.  
 Ast ego pastor oves sectatus, & infima rerum  
 Innocua cæpi simplicitate frui.  
 Tempus erat sacrum superis cùm quisque paramus  
 Munus, adorando ponitur ara Deo.  
 Obtulit ut poterat terræ de fruge recentis  
 Frater, & offensum senserat esse Deum.  
 Ast ego sancta Deo supplex per vota rogato,  
 De grege primitias munera lecta tuli.  
 Fallor, an æthereo pietas spectata parenti est?  
 Gravior atque illi victima nostra fuit.  
 Invidus infremuit, nostròq; immanibus ausis  
 Sanguine, fraternas polluit ille manus.  
 Ergo mihi innocuos mores vitamq; secuto  
 Addita lex culpæ prima ferenda fuit?  
 Scilicet ob lapsum quæ cunctos pœna maneret,  
 Hæc lethi species inspicienda datur.  
 Et mundo promissa salus, Christo auspice, nostræ  
 Mortis ab exemplo nobilitanda fuit.  
 Atque simul vera signatur imagine, iustis  
 Essent pro sancta quæ patienda fide.  
 In terris spargunt tristes sua semina iusti;  
 Gaudia sed celo, diuite messe, metunt.*

Mors Abelis  
 fuit in homi-  
 num genere  
 prima.



*Merserat aeterna miserum caligine mundum  
Primæuus genitor, duraq; fata tulit.*

*Iano*

Iam vita series omni miserabilis ævo  
 Pœnaq; cum culpa facta perennis erat.  
 Hauserat & sanctum tellus madefacta cruorem,  
 Crimine profusum dire Caine tuo.  
 Ipse Deus damnauit opus, cademq; nefandam;  
 Pessima conuicta est iudice caussa Deo.  
 Nam meruisse docet culpam, cur sacra perosus  
 Impia, non gratum munus habere queat.  
 Si fueris iustus, lætum pietatis honorem,  
 Officij;q; feres munera grata tui.  
 Impius, atque nocens, diris vrgebere fatis,  
 Tristis & infandum pœna sequetur opus.  
 Attamen ille malus toruè obluçtatur, & audet  
 Presentem contra iurgia ferre Deum.  
 Mente nefas texisse parum, truculentia vultu  
 Hæsit, & in facie signa nocentis erant.  
 Interea duris pietas exercita fatis  
 Ingemit, immensis obruta diua malis.  
 Sic malus insidiis serpens grassatur in omnes,  
 Quorum sunt sacra pectora plena fide.  
 Spes ingens illi sublato insedit Abele,  
 Excelsa pietas sed reparata manu est.  
 Nam viget æternum, fixo dum cardine mundus  
 Stabit, & hoc ipso depereunte manet.  
 Ergo iterum magni reparatur origine Sethi  
 Sanctorum cæso nuper Abele genus:  
 Vt tandem seclis labentibus omnis ab illo  
 Germine, terrarum prodeat alma salus.

Genes. 5.

A S ENOCH.

IO SACRARVM ANTIQVIT.  
E N O C H.



*Maximus aeterno cum conderet omnia nutu,  
Secreuit iusta singula lege Deus.*

*Sic.*

*Sic conuexa poli, caloꝝ micantia signa  
 Iussit & adiuncta sidera lege rapi.  
 Sic siluis errare feras, sic labier amnes,  
 Fronde tegi terras germinibusq; suis.  
 Omnia sed vera ratione carentia finxit,  
 Sint licet illa suis singula recta modis.  
 Tandem factus homo caelestis imagine forma,  
 Cui mens aethereo plena vigore data est:  
 Ut se diuina sentiret origine cretum,  
 Et sanctè summum viueret ante Deum.  
 Hic tamen, infandum, primæuo degener ortu  
 Transgressor latæ conditionis erat.  
 Vnde animi vigor & recti corrupta voluntas  
 Languit, & grandi saucia facta malo est.  
 Fertur & in praeceps, nisi cura potentior obstat,  
 Additaq; aeterno mens violenta Deo.  
 Huc ratio atque aui series mihi cuncta relata est:  
 Charius & sancta nil pietate fuit.  
 Diuina in terris igitur quæ vita peracta est,  
 Altior humana conditione fuit.  
 Vidit, & adiunctum magni sibi cura tonantis,  
 Expertem maesti funeris esse iubet.  
 Nam Deus in letas spirantem transtulit oras,  
 Et meliore mihi vita parata solo est;  
 Vernat ubi Eoo sedes pulcherrima tractu:  
 Felices animas continet ille locus.  
 Attamen extremo reduces testabimur orbi,  
 Vindicis aduentum iudiciumq; Dei.*

Genes. 5.

N O E.





Genes. 6. *Iam perstante nouo sensim per tempora mundo,  
Humanum toto creuerat orbe genus.*


*Impia*

Impia cumq̄ suo creuerunt crimine seculo,  
 Nec terris scelerum iam modus ullus erat.  
 Indoluit calo genitor malefacta perosus,  
 Attamen est lenta pœna parata manu:  
 Nulla tamen rigidas flexit patientia mentes,  
 Fœtaq̄ sunt vitiiis tempora longa nouis.  
 Quis putet? hac inter corrupti tempora secli,  
 Vita decens nobis, & sine labe fuit.  
 Iam totum diffusa lues compleuerat orbem,  
 Et terra ante oculos facta maligna Dei est.  
 Tum pietas diuina graues exarsit in iras,  
 Iamq̄ hominem terris imposuisse graue est.  
 Stat genus inuisum rapidas abolere per undas,  
 Ac fontes vna perdere morte animas.  
 O quantum est nocuos mundi spreuisse furores,  
 Et summo pura viuere mente Deo!  
 Nam tanta exemptum pietas me numinis ira  
 Dignatur summi præmonuisse mali.  
 Ergo mihi extructa est monitis celestibus arca  
 Ingens, quæ rerum conderet omne genus.  
 Hanc ubi conscendi, toto Deus æthere nimbos  
 Fundit, & ultrices impete spargit aquas.  
 Mergitur omne genus rerum, gens lecta tonanti  
 Salua tamen mundo depereunte sumus.  
 Seniat infesti ruptis compagibus orci  
 Mundus, & in fontes noxia tela ruant:  
 Ipsa tamen pietas sacratio condita tecto,  
 Viuit, & atherea freta triumphat ope.

Genes. 7.

Ecclesia.

MELCHI-



*Et tu Diue feres meritum virtutis honorem,  
Inter honoratos Melchisedece patres.*

*Qui*

Qui sacer imperio, sceptrisq; potentibus heros,  
 Nomina non diuis inferiora tenes.  
 Nam te iustitia & pacis regna alta tenentem,  
 Addictum calò, latior orbis habet.  
 Idem vittata sublimis fronte sacerdos,  
 Offers excelso munera iusta Deo.  
 Ignota cuncti mirantur origine cretum,  
 Et genus atherea ducere stirpe putant.  
 Vsq; adeo rerum series obscura tuarum:  
 Mystica nam prorsus vita peracta tibi est.  
 Agnouit sanctæ pater ille propaginis Abram;  
 Sensit & officij grandia fata tui.  
 Cum tu de cæsis victricia signa ferenti  
 Hostibus occurrens prospera dicta dares:  
 Ille tibi decimas spoliolum ex hoste fugato,  
 Dona q; victrici ferret opima manu.  
 Salve sancte senex, natoq; æquate tonantis;  
 Singula nam rerum numinis instar habes.  
 Atque typum Christi signatus imagine, veris  
 Quem tamen officis ille referret, eras.  
 Illius aeterno firmata potentia regno est,  
 Iustitiæ ac pacis conspicienda bonis.  
 His regit aeternum iustos, & numine firmat:  
 At reprobos pænis, supplicioq; premit.  
 Summus & antistes, orbis delicta, cruore  
 Expiat, ac miseris calica regna rogat.

Ad Hebr. 7.

Genes. 14.

L O T.



*In culpas hominum, toto testabimur orbi,  
Ipse Deus iustum, credite, lumen habet.*

*Sed*

*Sed pietas iussisq; fides caelestibus hærens  
Aeterni semper numine tuta Dei est.*

*Nos quondam subito bellorum turbine fracti,  
Captiua tulimus tristia vincla manu.*

Genes. 14.

*Sed mihi libertas Abrahamo vindice parta est,  
Concessum Sodomæ atque redire domos.*

*Hic sedes nobis. sed fœdis perdita factis  
Gens fuit, & diro noxia terra malo.*

Genes. 19.

*Destinat hanc pœnæ fontem Deus: exigit Abram,  
Ne simul innocuos vna ruina premat.*

Genes. 18.

*Annuat, & pœna sceleratas liberat oras,  
Illa si iusti sint regione decem.*

*Sed, dolor ô, totidem non vasta in gente supersunt!  
Omnis nam pariter noxia turba fuit.*

*Vesper erat, gemini iuuenes mea tecta subintrant,  
Cælica gens, nostro corpore tecta, fuit.*

Genes. 19.

*Vix tamen hos tutos hominum vesania linquit,  
Imminet exitio sic mala turba suo.*

*Summa dies aderat, diras me relinquere terras,  
Flectere nec tergo lumina versa monent.*

*Obsequor, ultrices voluuntur ab æthere flammæ:  
Et pice sulfurea fulmina mixta cadunt.*

*Effugimus passu celeri, miserabilis vxor  
Respicit, in saxum diriguisse ferunt:*

*Tam nocet exemptos culpæ ad scelera acta reuerti.  
Felix, si pietas progrediatur, erit.*

*At pereunt fontes flammis feralibus ora:  
Cerne typum fati munde maligne tui.*

B A B R A



*Inclyta progenies, fidei ditissimus Abram,  
Exerit humano celsius orbe caput.*

*Credentum*

Credentum genitor, sanctæq; propaginis auctor,  
 Nascitur à magnis conspiciendus avis.  
 Illius immenso pietas diffunditur orbe,  
 Et terras implet laudis honore suæ.  
 Ille genus mandante Deo, patriamq; reliquit,  
 Et procul ignota constituit exul humo:  
 Maxima venturis è cuius germine, tandem  
 Gentibus à mihi gratia facta Deo est.  
 Et rerum promissa salus, fiducia sancti  
 Pectoris, & meriti gratia tanta fuit.  
 Accipit hic iusso caelestia fœdera signo,  
 Exemplum generi fecit & inde suo.  
 Quid loquar exceptum ternæ sub imagine formæ  
 Numen, honorati tecta subisse viri?  
 Credita nec Saræ, seri miracula partus,  
 Quæ tamen euentu non caruere suo.  
 Interea genitor celo non mollia iussa  
 Accipit, ingenti sed subeunda fide.  
 I celer, & seris natum macta Isaac annis;  
 Illa mihi gratum victima munus erit.  
 Nec mora, quin summo certus parere tonanti,  
 Horrendos natum sisteret ante focos.  
 At vetat omnipotens. aries mox tractus ad aras,  
 Pro puero melior victima cæsus obit.  
 Sancta viri spectata fides, laudatæque, celo  
 Tollitur, & meriti viuit honore sui.  
 Sicque salus signis monstrata potentibus orbi est,  
 Vnde redempta Deo vindice turba sumus.

Genes. 12.

Gen. 13, 14

Genes. 17.

Genes. 18.

Genes. 22.

B 2

ISAAC.





Genes. 17. 18 *Promissam celo sobolem, placitumq, tonanti  
Isacon, & fratrum subdola facta canam.*

*Coniuge*

Coniuge cum casta senio prouectior Abram,  
 Legitimo sobolem non genuere toro.  
 Illius ante Deum voti iustissima visa  
 Causa, sed à summo cura soluta Deo est.  
 Spes nati vetulis nam facta parentibus, & iam  
 Mensibus exactis Isacus ortus erat.  
 Integer hic animi, fœtus caelestibus auris,  
 Promissæ fœdus grande salutis habet.  
 Progenuit geminos, sed cultu dispere natos,  
 Vnaq; diuersæ gentis origo fuit.  
 Asper Esau prior est nascendi lege, sed ipsi  
 Lecta Deo melior sors Iacobe tua est.  
 Ipse pater promissa tamen caelestia primo  
 Deberi, generis primaq; fata putat.  
 Iamq; senex oculos caca caligine pressus  
 Hunc vocat, officij tradita summa fuit:  
 Nate mihi grato venare obsonia gustu,  
 Et referes animi vota benigna mei.  
 Hic maturat opus pharetra succinctus & arcu:  
 Sed diuersa piæ cura parentis erat.  
 Namq; eadem sumens villosæ tegmina caprae,  
 Alterius nati colla manusq; tegit.  
 Fallaci hirsutum mentitus imagine fratrem,  
 Vt caligantem se ferat ante patrem.  
 Obsequitur vaser, ac iustis se insignibus ornans,  
 Præripuit fratri munera tanta suo.  
 Sunt iusti tutela Dei. Deus arbiter illis  
 Temperat immota candida fata manus.

Genes. 21.

Malach. 1.

Genes. 27.



Genes. 28. *Hinc sacer Isacides alto celebretur honore,  
Cui se caelestes exhibuere chori:*

*Quem*

*Quem pietas, durisq; fides exercita rebus,  
Felicem magni fecit amore Dei:*

*Pactaq; speratam Deus exhibitura quietem,  
Fœdere mansuro cui renouata dedit.*

*Extorris patria sollerti indagine fretus  
Natura, tenues peruigil auxit opes.*

Genes. 29.

*Natorum numero, prouentu diuite rerum,  
Coniugij vario letus amore redit.*

*Nomen & Israël sacre certamine luctæ*

Genes. 32.

*A summo impositum numine victor habet.*

*Ah quibus ille tamen curarum percitus undis,  
Sed Domino tutus vindice semper erat!*

*Vltima penè fuit misero lux illa parenti,  
Cum vidit pictæ signa cruenta togæ.*

Genes. 37.

*Pòst tamen in melius vertuntur ut omnia iustis,  
Crediderat sæuas quem laniasse feras:*

*Audiit illustri post tanta pericula sorte,  
Sublimem Phario dicere iura solo.*

Gen. 45, 46.

*Nec mora, cum celo monitus, gnatiq; rogatu,  
Viseret excursus aduena Nile tuos:*

*Transferretq; suos peregrina in rura penates,  
Et nato, & multis auctior inde bonis.*

*Turba Dei summo mentes attollite celo,  
Vos fors aeterno munere leta manet.*

*Alma Dei toto maestas panditur orbe,  
Et vigil ex alto despicit ima loco.*

*Vt iustis aqua decernat premia dextra,  
Hæc vestri merces magna laboris erit.*

B 4 IOSEPH.



*Si qua verecunda laus est & gloria vita,  
Hac multa certè parte futura tua est.*

*Tanta*

Tanta sub inuictò constantia pectore sedit,  
 Et nullo rerum turbine læsâ fides.  
 Exul in ignotas terrarum venditus oras,  
 Inuidia fratrum tristia fata subis. Genes. 37.  
 Seruitij sors lata tamen, tentata proterua  
 Si flammis domina non foret illa tua.  
 Sed scelus & furias fugisti veste reiecta,  
 Proq; fide tetro carcere vincla refers. Genes. 39.  
 Interea pavidum terrent in somnia regem,  
 Nuncia venturi miserat illa Deus. Genes. 41.  
 Consuluit vates, sed nescia turba futuri,  
 Sollicito regem destituere metu.  
 Posceris, & cupidum tanta formidine soluis,  
 Quidq; ferant certo somnia visa refers.  
 Agnouit donum Rex grande, & honoribus auctum  
 In partem regni suscipit ille sui.  
 Nec meriti simplex ratio, mens alta futuri  
 Præscia septennem viderat antè famem.  
 Consilioq; tuo cunctis sanissima terris  
 Cùm foret, Aegypto mitior illa fuit.  
 Interea patriis fratres à finibus adsunt,  
 Quos vario lusus antè labore, beas. Genes. 42.  
43, 44.  
 Immemor offensa, mentiti infanda parenti  
 Cùm tulerant laceræ signa cruenta togæ.  
 Sponte viris reparata salus, & noxa remissa est:  
 O signa ingenti mystica facta fide!  
 Distractum pretio Christum, exuuiasq; cruentas,  
 Orbis & asserti fata notata vides.

B 5 MOSES.



*Empyreos penetrare polos mens gestit, & ardet,  
Pangimus eterni dum monumenta Dei.*

*Auxerat*

Auxerat Hebraeam numeroso germine gentem;  
 Vt Deus ipse suo fœdere pactus erat.  
 Sed Phario depressa iugo suspirat, & alto  
 Auxilium celo poscit, opemq; refert.  
 Mittitur & celo Moses dux lectus ab alto,  
 Iussaq; mirandus prodigiosa facit.  
 Ille sacer gentem Phariis educit ab oris,  
 Et transfert sicco per vada salsa pede.  
 Atque Deo plenus Pharaona rapacibus undis,  
 Totaq; Erythraeis agmina mergit aquis.  
 Signa quid aëreo referam lucentia tractu?  
 Ductor & ingratas quas bene vertit aquas?  
 Et pastam celo loca per squallentia gentem,  
 Rupeq; de rigida vim salientis aquæ?  
 Et latas populo leges, moremque sacrorum,  
 Quæ sunt æterna mysticâ facta fide.  
 Aethereisq; inscripta notis caelestia iussa,  
 Telaq; contempti sanguinolenta Dei:  
 Aspida quamque alto suspendit ad aëra ligno,  
 Et ficto seuam sustulit ære luem:  
 Omnia quæ miris velata coloribus, olim  
 Mystica ventura signa salutis erant.  
 Salve heros, summi alloquio dignate tonantis,  
 Cui fas humanis altius ire modis.  
 Cernere & illustri præsentia numina vultu,  
 Fletere & iratum voce potente Deum.  
 Secula cuncta stupent pietatis imagine tante,  
 Vixq; tuum toto clauditur orbe decus.

Exodi 1.

Exodi 3,4,7,  
8,9,10.

Exodi 14.

Exodi 15,

Exodi 16.

Numeri 20.

Exodi 20,21,  
22, 23, 24,  
25, & seq.

Numeri 11.

Numeri 21.

Gen. 33,34.

A A R O N.



## A A R O N.



*Viderat Ifacidum lacrymas Deus atque laborum  
Pondera, Niliacis cum premerentur agris.*

*Altaq<sup>r</sup>*

Altaq; siccarat fugientibus aquora turmis,  
 Ruperat excelsa vincula dura manu.  
 Constiteratq; Sinae sublimi vertice Moses,  
 Ut ferret digitis scripta notata Dei:  
 In quibus ipse Deus sacras, sua fœdera, leges  
 Scripserat, haud vlla deperitura die.  
 Grataq; mox statuens placito libamina ritu,  
 Sacra noua genti relligiosa dedit.  
 Pontificemq; Aarona legit, lectumq; probauit,  
 Arida mirando germine virga virens.  
 Senior interea magno gens dira tumultu  
 In castris vasta seditione furit.  
 Vox hæc vna fuit vulgi, fac numina nobis:  
 Aeternum ductor non rediturus abest.  
 Quid faceret? populi furis & murmure victus.  
 Ad scelus infando crimine facta via est.  
 Aurea nam teneri fingens simulachra iuueni,  
 Præbet adorandos quos voluere Deos.  
 Impia gens oblita Deum, malè grata tonanti,  
 Quæ rabies cæci tanta furoris agit?  
 Numinis & parteis, æterna & mentis honorem  
 Gramina pascenti constituisse boni?  
 Aurato cultusq; sacros tribuisse iuuenco;  
 Acceptam huic sortem velle referre tuam?  
 Sic natura studet rebus vitata profanis,  
 Et semper scelerum pectora torquet amor.  
 Sed non impietas longis successibus unquam  
 Perstitit: huic celo maximus ultor adest.

Exod. 19.

Exodi 28.  
Numeri 17

Exodi 32.

Psalm. 105.

PHINEES.



*Vltor ades scelerum Pinehas, memorabile nomen,  
Laudibus & meritis conspiciende veni.*

*Ause*

*Ause piare nefas immane, & vindice dextra  
 Gentibus iratum conciliare Deum.  
 Mille quis Isacidum noxas, funestaq; fando  
 Facta queat dignis commemorare modis?  
 Ab quoties meritas clementia numinis iras  
 Distulit, & lenta pœna parata manu est!  
 Nil factum, resident alta sub pectore dira,  
 Mentibus & scelerum condita noxa manet.  
 Magna licet vindicta foret Moabitidos ora,  
 Crimina non cessant ulteriora sequi.  
 Nec veritus quidam populi spectante corona,  
 Luce palam vetitos turpis inire toros.  
 Legifer ingemuit Moses, & pectora plangunt,  
 Recta quibus summum mens fuit ante Deum.  
 At Pinehas diri commotus imagine facti,  
 Arripuit rapida tristia tela manu.  
 Et geminata truci transfodit pectora ferro,  
 Iustaq; flagitium pœna secuta fuit.  
 Annuit ipse pater celo, factumq; probavit,  
 Dixit & offensas se posuisse graues.  
 Contulit & sacros auctori cedis honores,  
 Ac gentilicium iussit habere decus.  
 Ipsaq; restincta est, quæ totis funera campis  
 Sparserat, ac subito desit atra lues.  
 Nunc iterum Pinehas nostris illabere terris;  
 Prisca refer laudis nunc monumenta tuæ.  
 Aggredere & terras vindex purgare nocentes,  
 Lenior offensi fiat ut ira Dei.*

Numeri 25.

Numeri 25.

CALEB.




*Cernite diuina rerum miracula dextra,  
Signa Dei terris, signaq; facta mari.*

*Vtq;*

Utq; suo lectam firmarit numine gentem,  
 Presenti semper conspiciendus ope.  
 Myriades sensere virum, manibus tetigere,  
 Viderunt oculis facta stupenda suis.  
 Attamen è tanto, dictu mirabile, cætu,  
 Tantum constantes vnus, & alter erant.  
 Hæc tibi laus vni cum magno restat Iesu,  
 Innocuum quorum fugerit ira caput.  
 Missus ut addictæ lustrares commoda terra,  
 Lata refers, alij tristia cuncta ferunt.  
 Terra ferax, referunt, prægrandes cernite fructus,  
 Attamen armata vix adeunda manu est.  
 Diriguere noua pauide formidine mentes:  
 Erigis hortatu tristia corda tuo;  
 Extenuasq; metus. Sed non infida mouentur  
 Pectora, præcipientes impius ardor agit.  
 Ergo pater ne regna vnquam promissa viderent,  
 Ingratos properat tollere morte viros.  
 At pietas te sancte Caleb felicibus oris  
 Intulit, hæc meruit præmia sancta fides.  
 Discite sublimes mira sub imagine caussas,  
 Facta stupenda etiam mystica facta fide.  
 Gens Hebræa malos; Calebi sors, fata piorum;  
 Terraq; promissi fæderis, astra notat.  
 Impius his merito frustrabitur omine regnis,  
 Debentur tantum mentibus illa piis.  
 Lata tuo vati huc aditum post funera præsta,  
 Sancte parens, animæ sors sit vt illa mee.

NUM. 13, 24.

C IOSVA.



Iosue 1. *Dux sacer, ac regum victor, clarisq; triumphis  
Inclyte, promeritas accipe laudis opes.*

Quo

Quo duce promissos fines Cananæia rura,  
 Gentibus Isacidis incoluisse datum est.  
 Exciderant illa patres, incredula turba:  
 Iustaq; contempti numinis ira fuit.  
 Occiderantq; omnes: unâ quoque legifer heros,  
 Non hominum cuiquam nota sepulcra subit.  
 Tu numero è tanto, Iephunniadesq; superstes  
 Vberis intra stis ditia rura soli.  
 Felices operum, qui fœdera sancta secuti,  
 Sacrastis magno pectora vestra Deo.  
 Sic merito sancti post tristia funera Mosis,  
 Tradita sunt manibus sceptrâ secunda tuis.  
 Nam Deus auctor erat, qui perficit omnia nutu,  
 Dispensans fatis omnia fata suis.  
 Sic tibi parta fuit victoria vindice celo:  
 Seq; ducem bello præbuit ipse Deus.  
 Ille suos siccum transfert per Fördanis amnem,  
 Illius imperio mœnia quassa ruunt.  
 Illius auspiciis habitata gigantibus arua,  
 Partiris populo sorte tenenda nouo.  
 Indigenasq; tuo deuincis robore gentes,  
 Imposito calcas regia colla pede.  
 Ause etiam victor dare iura potentibus astris,  
 Et fessos rapidi sistere solis equos:  
 Vt tibi de victis victoria plenior esset  
 Hostibus, hæc fidei signa potentis erant.  
 His signis veri monstrata potentia Iesu est,  
 Munera qui nostræ cuncta salutis habet.

Caleb Ie-  
 phunna fi-  
 lius. Num. 14.

Iosue 3.

Iosue 13.

Iosue 10.

C 2 GEDEON.





*Aethereis aurora recens ceu finibus exit,  
Cum nitet aurato conspicienda sinu:*

*Mox*

Mox gelido nox atra polo, terrisq; recedit,  
 Candidus & toto spargitur orbe dies.  
 Sic misera nouus post fata salutifer heros  
 Gentibus exoritur dux Iacobe tuis.  
 Felices nimium gentes, si iura tonantis  
 Vellent & memores tradita iussa sequi.  
 Ast ubi sacrarum venere obliuia legum,  
 A supera meritis saeuit arce furor.  
 Ipse Deus reprobam belli formidine gentem  
 Perculit, irata poena parata manu est.  
 Iamq; aderant veteres notis in sinibus hostes,  
 Vastantes rigida consita rura manu.  
 Contremuere omnes funestis cladibus ora,  
 Tanta lacesiti numinis ira fuit.  
 Tum demum gemuere, & caelo brachia tendunt,  
 Utq; sit hoste fero libera terra rogant.  
 Audit, & miti prospexit ab aethere vultu,  
 Aeterni pietas ad mala tanta Dei.  
 Mox Gedeona sua firmatum robore dextrae,  
 Auxilio pauidis gentibus ire iubet.  
 Hic alacer, signisq; polo firmatus ab alto,  
 Instruit electas ad fera bella manus.  
 Illis tela, faces, raucoq; strepentia cantu  
 Cornua, pro clypeo fictilis urna fuit.  
 His percussa armis cecidere micantia ferro  
 Agmina, barbarici procubuere duces.  
 Venit & à summo dulcis victoria caelo;  
 Vnde vices rerum, cunctaq; fata fluunt.

Iudicum 6,7

C 3 SAMSON.



Iudicium 13. *Celsior humano, nec noto robore Samson,*  
14, 15, 16. *Mole gigantea conspiciendus adest.*

*Acta*

Acta viri maiora fide, sed finxit in illo  
 Conditor, humano corpore maius opus.  
 Gignitur è sterili, celo prænunciatus ales  
 Fata noui fœtus prodigiosa canit:  
 Hunc fore qui gentem tot belli cladibus ægram  
 Adferat, & forti vindicet altus ope.  
 Addita lex, sanctum superis fore, nectaris vsus  
 Expertem, intonso vertice ferre comas.  
 Huius opus, rigidum dextra strauisse leonem,  
 Mellaq; cum liquidis inde tulisse fauis.  
 Mille viros atque osse putri prosternere letho,  
 Cœlitus & nato fonte leuare sitim.  
 Claustraq; portarum, solidos perfringere postes,  
 Sublatosq; altis imposuisse iugis.  
 Quid cum clade noua truculentos vsus in hostes,  
 Tercentum totos vulpibus vsit agros?  
 Flamma vorax siquidem nexis superaddita caudis  
 In segetem sparsas compulit ire feras.  
 Inuictum sed dira lues herosa subegit  
 Roboris arcanum non tenuisse sacri.  
 Fortia nam rasis languescunt membra capillis,  
 Et perdit geminos captus ab hoste oculos.  
 Sed maior redeunte coma vindicta parata est,  
 Cùm ruerent forti diruta tecta manu.  
 Hostilesq; globos subita pressere ruina,  
 Cum quibus & vindex sustinet ipse mori.  
 Naziri signata fides sub imagine Christi est,  
 Ille decus verum nominis huius habet.

C 4 SAMVEL.



*Nunc agitate Deo magni Samuelis honorem,  
Pulchraque sacrae praesidis acta canam.*

*Anno*

- Anna diu sterilis, Helcana iuncta marito,  
Ante Deum lacrymans anxia vota facit.  
Diue potens rerum, si prolem enixa virilem,  
Optato nati pondere mater ero:  
Ille tibi æternum sanctas sistetur ad aras,  
Et cuncto sacrum tempore munus erit.  
Hæc rata spes matri, magno Samuele beatur,  
Sistitur atque aris liniger ille Deo.  
Hic virtute sua primis inclaruit annis,  
Inq̄ Dei templo nobile sidus erat.  
Atque Deo plenus funesti tempore belli,  
Contudit hostiles voce precante manus.  
Hoc sanctæ Isacidis steterunt sub Iudice leges,  
Summaq̄ sunt æqua reddita iura manu.  
Sed furor innatus genti deposcere regem  
Suadet, & imperij grandius optat onus.  
Quò ruitis? quæ vos, inquit, dementia torquet  
Poscere contempto regia sceptrâ Deo?  
Quod petitis dabitur: sed regni tristia iura  
Lege graui miseros seruitioq̄ prement.  
Non tamen absistunt: Rex lectus ab æthere Saulus  
Vngitur, & regni grande capeffit onus.  
Excidit ast illo monitis celestibus asper.  
Tam graue mandatum deseruisse Dei est!  
Tu melior sancta Samuel sub imagine vates,  
Et rector miti nobilis imperio.  
Te mæsti Isacide cunctas fleuere per oras  
Exemplo in terris vix habiture parem.*

1. Reg. 1, 2.

1. Reg. 3.

1. Reg. 7.

1. Reg. 8.

1. Reg. 15.

1. Reg. 25.

C 5 DAVID.



*Pinguia ceu grato fragrant opobalsama succo,  
Sparsa vel in sanctos thurea grana focos:*

*Tam*

Tam sacer Isaias diuinum spirat odorem,  
 Non secus ac summo victima grata Deo.  
 Pene puer vastum miranda cade gigantem  
 Strauit, & imbelli gloria parta manu est.  
 Effugit & furias infesti regis & iras,  
 Altior atque magis quo premeretur, erat.  
 Auspice nam celo delectum regna manebant,  
 Regna Sioneis conspicienda iugis.  
 Gentibus unde salus quondam foret vna futuris,  
 Isaide sobales germine mixta Dei.  
 Cernimus agnorum custodi regna parari:  
 Infirma nam tollit, deprimat alta Deus.  
 Fœdera sic superum, promissaq; pacta mereris,  
 Gratia virtuti tanta relata tua est.  
 Nam tua seu leto veheretur gloria curru,  
 Seu foret indignis sors miseranda malis;  
 Omnis erat defixa Deo fiducia rerum,  
 Et mens in summum relligiosa Deum.  
 Te quoque pangentem sacrato carmina plectro,  
 Imbuit excelsi plenior aura Dei.  
 Et pater ipse pius solatus ab aethere mentes,  
 Voce tua, terris nobile liquit opus.  
 Hæc omnis series sublimibus alta figuris,  
 Aeterna rerum mystica facta fide est.  
 Omnia nam magni referuntur imagine Christi,  
 Hic verum signo clarius exstat opus.  
 Quisquis es, aeternum gratus venerare parentem:  
 Sic Deus, & calum seruiet omne tibi.

1. Reg. 17.

1. Reg. 19,  
20, 21, 22, 23,  
24, 25, 27.

2. Reg. 2.

NATHAN.





*Magna Dei pietas superata nocentibus ausis,  
Sape fit irata conspicienda manu.*

*Hac*

Hac urgente Nathan perfers ad principis aures  
 Ob scelus offensi quæ foret ira Dei.  
 Impia nam fuerat geminata libidine cædes,  
 Ergo viro vltrices ingerit ille minas.  
 Non ego te regem statui? non vindice dextra  
 Tutatus? vitæ commoda plena dedi?  
 Hæc si parua forent, non te maiora manerent?  
 Excidere hæc animo num potuere tuo?  
 Nunc temerata fides, contemto numine nostro,  
 In pœnas non est lenta futura tuas.  
 Clam scelus admissum, toto vulgabitur orbe:  
 Hæc est damnato pœna reperta toro.  
 Per genus omne tuum sæuus grassabitur ensis:  
 Sanguine tincta manus, cæde pianda pari est.  
 Audiit hæc postquam perculsus imagine pœna,  
 Supplicat aeterno protinus ille Deo.  
 Agnoscitq; nefas trepidans, veniamq; precatur,  
 Eluit & lacrymis crimina tanta suis.  
 Vidit, & ignouit cælo mitissimus alto,  
 Flectitur atque sua pro pietate Deus.  
 Hæc aeterna tui Deus est clementia sceptri:  
 Numinis hæc eadem gloria summa tui est.  
 Discite mortales toto qui viuitis orbe,  
 Pro meritis semper præmia iusta dari.  
 Iudicio nam cuncta Deus desiniet æquo.  
 Lex ea non summo deperitura die est.

Ecclesiast. 12.

G A D.



2. Reg. 24. / *Infelix iterum crimen Dauidica regna,  
Et grauis offensi numinis ira premit.*

*Censere*

Censeri numerum populi rex iussit Iudæ:  
 Displicuit magno res nimis illa Deo.  
 Omnis enim summo est inuisa superbia celo,  
 Frangitur ultrici numinis illa manu.  
 Senserat admissæ Dauides crimina culpæ,  
 Aeger & offensum supplicat ante Deum.  
 Mox Gaddus mandata Dei fatalia perfert,  
 Rex tibi sunt dictis iussa ferenda meis.  
 Ira Dei tibi bella, famem, pestemq; minatur,  
 Optio de tribus est una relicta tibi.  
 Quid faciat dubiâ quatitur formidine, tandem  
 Eligitur tristi pestis acerba malo.  
 Millia cum populi sternuntur plurima fato,  
 Exerit horrendas nam Deus ipse manus.  
 Corda pauent regis, sustollit ad æthera palmas,  
 In celo genij vindicis arma videt.  
 In me verte manus, inquit, sum noxius vnus,  
 Nil quicquam populi commeruere mei.  
 Audit omnipotens, pestem fugat, illico vates  
 Offenso iussit sacra parare Deo.  
 Rex paret, festam pecudes mactantur ad aram,  
 Placatur vera relligione Deus.  
 Iustitiæ summi lex est immota parentis,  
 Semper vt iniustum pœna sequatur opus.  
 Sic nunc mille malis toto percellimur orbe,  
 Et scelerum pœnas impia turba damus.  
 Innocuas sed enim qui tendat ad æthera palmas  
 Queritur, vt iusti desinat ira Dei.

SALO.



*Si qua fuit magni sublimis gloria regni,  
Inferius nostro nomine, nomen habet.*

*Altus*

Altus honos aliis vastato surgat ab orbe,  
 Vnde ferant regni nomina magna sui.  
 Omnis at à summo surgit mea gloria celo,  
 Pacis, & ingenij nobilitata bonis.  
 Iure igitur magni signatur imagine Christi,  
 Huius enim verum rettulit illa typum.  
 Regia progenies Solymorum regna potentum  
 Sortior, & viuo sceptraparente tuli. 3.Reg.16  
 Ut noua concessi firmata potentia regni est,  
 Cura fuit summum conciliare Deum. 3.Reg.3.  
 Ille mihi in somnis, quæ vis pete munera, dixit;  
 Irrita nec voti summa futura tui est.  
 Alme faue, dixi, genitor, promissaq; firma,  
 Mens mihi sit donis ingeniosa tuis.  
 Hæc plena dare dona manu, votumq; probare  
 Dixit, & optatis addere plura meis.  
 Inde fuit nostri maiestas inclyta regni,  
 Terrea qua vasto clauditur ora sinu.  
 Famaq; terrarum diuerso à littore gentes 3.Reg.10.  
 Traxit, ab Austrino femina vecta polo est.  
 Hæc animi, regniq; decus memorabile cernens,  
 Grandius audita comperit esse fide.  
 Templaq; & ingenti constructa palatia sumptu, 3.Reg.6.  
& sequent.  
 Atque operum molem dicere longa mora est.  
 Omnia contigerant, sed amor malè sanus adegit  
 Ingratum veri linquere iussa Dei.  
 Illa fuit nostræ series miseranda ruina: 3.Reg.11.  
 Exitij mulier caussa pudenda mei est.

D HELIAS.



*'Qualis ab astrifero densa inter nubila calo  
Sol micat, & radios flammifer orbis agit,*

*Tam*

Tam series Helia operum miranda tuorum,  
 Luce nona terris conspicienda fuit.  
 Alta lues scelerum populos idola secutos  
 Presserat, & lesi excanduit ira Dei. 3. Reg. 17.  
 Signa dedit calo, steriles sunt frugibus anni,  
 Arua nec irriguis imbuit imber aquis.  
 Inde fames terris, Tu iusso conditus antro  
 Certa tamen summi cura parentis eras.  
 Nam calo iussi volucres pauere latentem,  
 Et vicina grauem sustulit unda sitim.  
 Aruerat torrens, oleo diuinitus aucto  
 Pasceris, & viduae pauperis hospes eras.  
 Heic tenuesq; lares caelesti munere seruas,  
 Atque obita puerum viuere morte facis. 5. Reg. 18.  
 Sisteris interea regi, culpasq; nocentem,  
 Et populi caetum conciliumq; vocas.  
 Arguis & reprobos, scelerum damnasq; nocentes,  
 Adseris aeterni numina vera Dei.  
 Irrita destituunt falsos miracula mystas:  
 Et scelerum pœnas impia turba luunt.  
 Hinc duras frustra ad pœnas quæsitus, at ipse  
 Numinis alloquio mite leuamen habes. 2. Reg. 19.  
 Et celebrata quater denos ieiunia Soles  
 Ante sed æthereo nectare pastus agis.  
 Sic ubi vita Deo deseruit omnis, ab illo  
 Viuus ad æthereos tolleris ipse polos.  
 Altaq; conscendis flammantibus astra quadrigis, 4. Reg. 2.  
 Ante Dei summum sed rediture diem.





*Carmen honorato sacrum pangamus Elise,  
Nobilis atque animi grande loquamur opus.*

Vb

- Vt comes Helia, & tanto successor honori  
Additus, vt patrios liquerit ille boues.* 3. Reg. 19.
- Vtq; potens animi, factus caelestibus auris,  
Rettulerit mentis munera plena sacra.* 4. Reg. 2.
- Vt rapidum votis siccarit Iordanis amnem;  
Sanarit fontis tristia damna mali.*
- Vtq; enecta siti feruentibus agmina terris,  
Mirandum, natis sponte leuarit aquis:* 4. Reg. 3.
- Fataq; monstrarit belli. Tu diuite signo  
Pauperiem vidua, duraq; fata leuas.*
- Corpora tu iuuenum maestis exanguia bustis  
Subtrahis, aque obita viuere morte facis.*
- Tu Cerere exigua populos, mirabile, pascis,  
Et satias modico millia multa cibo.* 4. Reg. 4.
- Te mandante lues squallentes deserit artus,  
Et iussas partes vnda salubris agit.* 4. Reg. 5.
- Altior & regnis, & formidate tyrannis,  
Cesserunt iussis regia sceptrata tuis.*
- Nec post fata tuo cessit de corpore virtus,  
Quin magis à summa claruit illa die.* 4. Reg. 13.
- Sed quo signa tamen caelestibus edita fatis?  
Si nulla populi flectitur arte rigor?*
- Omnia sunt tentata quidem, nihil antè relictum,  
Qua possent animos edomuisse malos.*
- Summa Dei pietas tandem pertesa malorum,  
Et longa bonitas alma subacta mora est.*
- Tum fontes populi crudeli sorte perempti,  
Tristia pro meritis fata tulere suis.*



3. Reg. 22. *Me quoque non fallax series præuisa futuri  
Vatem constanti prodidit esse fide.*

*Sed*

*Sed veri prædicta fides ut noxia multis,  
 Sic etiam nobis pernicioſa fuit.  
 Regibus Iſacidum geminis cùm bella pararent,  
 Euentus rerum noſcere cura fuit.  
 Acciti vates ſcitantibus optima ſpondent  
 Regibus, & belli fata ſecunda canunt.  
 At non eſt animus regi perſuaſus Iudæ;  
 Falfa videt vates ac ſimulata loqui.  
 Quidam nunc ſupereſt, inſit rex alter, at ille  
 Inuiſus nobis ſemper acerba refert.  
 Aſciſcor tamen, atque effari læta requiror;  
 Cùm ſic fatidico ſoluimus ora ſono:  
 Vidimus orbatas celſo rectorẽ cohortes,  
 Iſacidumq; altis agmina ſtrata iugis.  
 Vidimus & magnum ſolio reſidere tonantem,  
 Aligeris ſeptum cœtibus atque choris:  
 Ac genius operam fallendi iniungere regis,  
 Turpiter ut Syrio victus ab hoſte cadat:  
 Hoc aliquem ſumpſiſſe ſibi, certumq; futuri,  
 Quo fraudem faceret commemorariſſe modum.  
 Inducam vates mendaci callidus ore,  
 Regis in exitium dicere falſa ſui.  
 Hæc ubi fixa polo fatorum arcana recluſi,  
 Verbera, & in tetro carcere vincla tuli.  
 Credita nec regi mea ſunt præſagia, donec  
 Sterneret indignum digna ruina caput.  
 Ferreni geritis qui ſceptra potentia reges,  
 Aeterni memores fata timete Dei.*



Jonæ 1, &  
sequent.

*Ergo ego sustinui fugisse per auiã demens,  
Detrectans Domini præcipientis opus?*

*Missus*

Missus ad Assyriam Niniuen, instantia fata  
 Urbis, & irati dicere iussa Dei;  
 Improbus obluctor iussis: timor altus adegit  
 Tendere præcipiti per freta longa, fuga.  
 Sed Deus insequitur fugientem, & concita feruent  
 Aequora, nautarum pallida turba pauet.  
 Iamq; parant quis caussa mali perquirere ductis  
 Sortibus, & cladis destinor auctor ego.  
 Mergite me, dixi, pelago, placabitur æther.  
 Iussa viri faciunt, præcipitemq; rotant:  
 Bellua quem vasto fluitantem absorbet hiatu,  
 Et penitus cæco condit auara sinu.  
 Tres abiere dies, in sicco littore cùm me  
 Ingratum vasto gutture reddit onus.  
 Sic firmanda fides rediuiui in imagine Christi,  
 Veraq; adumbratis caussa notanda fuit.  
 Assyrias iterum mittor legatus ad oras,  
 Et reprobis pœnas exitiumq; cano.  
 Tristibus admonitis fractæ formidine gentes,  
 Peccatis veniam criminibusq; rogant.  
 Longa quoque indicunt mæsto ieiunia luctu,  
 Vilibus & saccis corpora nuda tegunt.  
 Flectitur his superùm pietas, atque ira resedit:  
 Ipse queror dictis pondus abesse meis.  
 Sed moneor cælo viridantis imagine plantæ,  
 Iure Dei lentas vindicis esse manus.



4. Reg. 17. *Tandem facta fides dictis, quae plurima vates  
Numinis instinctu disseruere, fuit.*

*Regna*

Regna Iſraëlis ſceptris quondam æmula noſtris  
 Fracta ſub Aſſyrio procubuerunt iugo.  
 Cauſſa grauis pœna ſummum ſpreuiſſe parentem:  
 O utinam regno ſit procul illa meo!  
 Nos quoque maiorum deliquimus acta ſecuti,  
 Noſtraq; non leuius crimina pondus habent.  
 Sed mihi mens melior vetitos auertere cultus,  
 Officium veri nobile regis, erat.  
 Fumabant celſæ vetitis ſuffitibus aræ,  
 Si qua vel æreis collibus arbor erat.  
 Squallebant occluſa ſitu templa alta, nec vlla  
 Antiquæ facies religionis erat.  
 Nos virides lucos forti ſuccidimus auſu,  
 Fregimus & iuſta numina falſa manu.  
 Et templi ritus, ſacrosq; ex ordine myſtas  
 Legibus, & recta iuſſimus ire via.  
 Sic vbi religio rediuuium accepit honorem,  
 Impius Aſſyriis finibus hostis adeſt.  
 Occupat & Solymos numeroſo milite campos,  
 Sed Deus oppreſſis maximus vltor adeſt.  
 Agmina ſtrata virum calo iacuere perempti:  
 Nos pro conceſſa vota ſalute damus.  
 Inclyta ſe facta maietas numinis illo,  
 Preſentem iuſtis prodidit eſſe Deum.  
 Longior emeriti ſic & mihi terminus æui  
 Additus, extrema cum peteretur ope eſt.  
 Tu mea progenies rectum tenuiſſe memento,  
 Ominor aut dirum chare Manaffe tibi.

4. Reg. 18.

4. Reg. 18, 19  
Eſaia 36.4. Reg. 20.  
Eſaia 38.

IOSIAS.





4 Reg. 21,  
& sequent.

*Post scelerum furias, & tristia fata Manasse,  
Impius exiguo tempore regnat Amon.*

*Ille*

Ille quidem melior veniam petiisse malorum,  
 Hic scelerata patrum maluit acta sequi.  
 Iosias, & auo melior, meliorq; parente,  
 Succedit sceptris, inclyte Iuda, tuis.  
 Integer hic, vitæ primo crescentis ab ortu,  
 Numinis ad cultus officiosus erat.  
 Cui postquam Solymi firmata potentia regni est,  
 Cura prior sanctæ religionis erat.  
 Illa situ, longoq; grauis squallore iacebat,  
 Regius est illam restituisse labor.  
 Hic nemortem cultus, celebrata frequentibus aris  
 Orgya, cum falsis sustulit atque deis.  
 Fracta iacent totis simulachra nocentia campis,  
 Et scelerum facies, falsaq; signa iacent.  
 Tum satagit veteres templi reparare ruinas,  
 Instaurat sacra nobile molis opus.  
 Inueniunt illic sacrata volumina Legis,  
 Abdita, longinquus texerat illa dies.  
 Atque ea confessu populi vulgata frequenti  
 Maxima solliciti caussa pavoris erant.  
 Pœnitet errorum, iurataq; fœdera firmant,  
 Legibus vsuros tempus in omne Dei.  
 Tum festos ex more dies, sollennia sacra,  
 Et paschæ posita tempora lege colunt.  
 Debuerant eadem seri tenuisse nepotes,  
 Factaq; non adeo pernicioosa sequi.  
 Non tenuere leues, sunt pernicioosa secuti,  
 Inq; suis miseri deperiere malis.

Nihil hinc  
 patrocinator  
 Iconoma-  
 chis.

ESAIAS.



Esaia 1, &  
sequent.

*Omne genus quodcunque satum est ab origine mūdi,  
Aetherea quamuis se tueatur ope,*

*Miraq.*

Miraq̃, se pietas gentes diffundat in omnes,  
 Terrarum vastas impleat illa plagas:  
 Attamen vberior, mitiq̃, fauentior aura,  
 Gentibus affulsit dux Iacobe tuis.  
 Fœdera, signa, dapes, concessaq̃ muner a celo,  
 Regnorumq̃ decus dicere longa mora est.  
 Omnia contigerant, series sed longa nepotum  
 Degener, auctori facta maligna suo est:  
 Accreuitq̃, etate malum, vitiog̃ sequentum  
 Gentis, & imperij languit omnis honos.  
 Ante quidem longo monstrarant ordine vates,  
 Tristiaq̃, euentus fata tulere suos:  
 Nos quoque cum primis caelestia iussa secuti,  
 Prodidimus certa fata futura fide.  
 Ora sonant contacta sacra spiramine flamma,  
 Inq̃ hominum furias lingua diserta fuit.  
 Soluimus & tristi iustas formidine mentes,  
 Dum canimus magni nuncia leta Dei.  
 Affore de summo signum memorabile celo,  
 Et toto exoriens orbe salutis opus.  
 Demissum celo, vestitum corpore, germen,  
 E casta diuam virgine progeniem,  
 Vt genus infandæ pollutum crimine noxæ,  
 Adserat humana Filius ipse manu:  
 Atque nouam populos lucem diffundat in omnes,  
 Gentibus vt vera fata salutis eant.  
 Hac ita venturo signata reliquimus æuo:  
 Fixaq̃, perpetua stant monumenta fide.

Esaiæ 6, &  
sequent.

HIERE.



Hierem. i,  
& sequent.

*Quàm grauibus numeris rerum mihi textitur ordo!  
Et liber immensi verba doloris habet!*

*Causa*

Causa fuit regni facies miseranda ruentis,  
 Atque Iudaea graui sceptrâ subacta iugo.  
 Iam fracta Israël opes, populataq; regna:  
 Iamq; potens rerum barbarus hostis erat.  
 Vnaq; restabat pars gentis, & altera, nempe  
 Beniamidum, & soboles fortis Iuda tuæ.  
 Hæ quoque iam domitæ bello capita ægra trahebant,  
 Et vix reliquias sustinuerè suas.

Vltima restabant misere discrimina genti,  
 Aspera mandanti cum foret illa Deo.

Nos ea vaticinis vulgauimus omnia signis,  
 Mens vero quoniam numine plena fuit.

Hierem. 6.

In scelerum furias, ac facta nocentia vulgi,  
 Mystica contactu lingua sacrata Dei est.

Credita sed duræ non sunt oracula genti,  
 Et grauis immerito pœna parata mihi est.

Hierem. 20.

Nostra licet flammis monumenta cremetur & igni,  
 Sancta tamen cuncto tempore scripta manent.

37.38.  
Hierem. 36.

Iamq; iterum nostras Babylonius hostis in oras  
 Irruit, & Solymæ mœnia victor habet.

Hierem. 39.

Præda agitur, decora alta ruunt, captiua trahuntur  
 Agmina, direptas possidet hostis opes.

Hic finis regno. Sed non licet omnia victor  
 Ceperit, æterni fors fuit illa mali.

Diximus & mæstas inter solatia curas,  
 Lataq; decreto fata futura die.

Hierem. 29.  
30.

Omnia pro meritis oriuntur regna, ruuntq;  
 Ordine quo, rerum stantq; caduntq; vices.

E E Z E



*Cùm Solymas bello Babylonius hostis ad arces  
Verteret infesta signa cruenta manu:*

*Pectora*

Pectora Ioachidæ regis percussa<sup>q</sup> valgi,  
 Urget enim læsi numinis ira, tremunt.  
 Euictiq<sup>3</sup> minis, urbem, captiuag<sup>3</sup> dedunt  
 Corpora: Indæas occupat hostis opes.  
 Inq<sup>3</sup> suos gentem Babylonia rura penates,  
 Multaq<sup>3</sup> crudeli millia sorte trahit.  
 Pars patrios tenuere lares: hi crimina captis  
 Astruere, & falsa facta notare fide.  
 Inde dolor victis tantis successibus, ingens  
 Aestuat, & durum pectore crevit onus.  
 Sed Deus afflictas solatur ab aethere mentes,  
 Temperat & miti fata sinistra manu.  
 Veraq<sup>3</sup> sanctorum firmans præsentia vatum,  
 Exitium Solymæ relliquisq<sup>3</sup> canit. Ezech. 17, 24  
 Increpat & reprobos, scelerumq<sup>3</sup> incusat amorem,  
 Utq<sup>3</sup> animos referant ad meliora monet. Ezech. 36.  
 Affore tempus enim dura quo lege soluti,  
 Excusso referant libera colla iugo.  
 Atque iterum Solymas, rediuiuaq<sup>3</sup> mœnia condât,  
 Ac patrios fines debita rura colant. 40, & se-  
quentib.  
 Cùm Deus in saevas irarum fulmina gentes  
 Transferet, & pessum regna superba dabit:  
 Firmabitq<sup>3</sup> sui decora immortalia regni,  
 Cælestis Solymæ regia semper erit.  
 Hanc rerum seriem solio sublimis ab alto  
 Conderet aeterna cùm Deus ipse manu,  
 Monstratam cælo, vates præuidit, & orbî  
 Prodidit excelsi fata stupenda Dei.





*Me quoque Chaldaeis pangentem oracula terris  
Traxerat à patrio fors violenta solo.*

*Duraq.*

Duraq̄, cum reliquis captum fortuna premebat,  
 Magna sed eterni cura parentis eram.  
 Temperat hic certis humana negotia caussis,  
 Inq̄, suas partes inferiora trahit:  
 Scilicet exilium rebus sublimibus aucto,  
 Caussa mihi læta conditionis erat.  
 Namq̄, mihi rerumq̄, vices, caussasq̄, latentes,  
 Altaque fatorum noscere iura datur.  
 Quæq̄, noua terrent pavidas formidine mentes  
 Somnia veraci dissoluisse fide.  
 Senserunt populi, tum cum regalia fando  
 Explicui certa somnia visa fide.  
 Exemplumque fuit mutati forma tyranni,  
 Additus & sæuis horridus ipse feris.  
 Ternaque cum rapidis aboleri corpora flammis  
 Imperat, & non vim lædat ut ignis habet.  
 Sic patris ætherei mundum qui temperat omnem,  
 Inclyta maiestas conspiciunda fuit.  
 Vidit, & agnouit. Quanti tibi Belsæzer heres  
 Constitit, hæc memori non tenuisse fide!  
 Ergo ruis. Medo cedunt tua regna Dario:  
 Obicit hic rabidis corpora nostra feris.  
 Sed meminere truces iram frenare leones,  
 Cur furor, & rabies hæc læue pondus habent?  
 An quoniam sæuos probitas mouet ipsa leones,  
 An quoniam semper vindice tuta Deo est?  
 Et mouet illa feras, & celo vindice tuta est.  
 Fidite constanti pectora plena fide.

Daniel. 2, &  
sequent.

E 3 D V O.



*Felices animæ, cognatæq; pectora celo,  
Nobilis æterni turba ministra Dei;*

*Imbuia*

Imbuit aetherea quorum praecordia flamma,  
 Qui sacer à supera spiritus arce venit,  
 Inclyta quis possit vestrarum munera laudum  
 Dicere, quis dignis ferre per astra modis?  
 Vos genus innocuum, rerum meliora secuti,  
 Vincitis humanae conditionis opus.  
 Obliti terras, animis caelestia tantum  
 Sectati, veras accumulastis opes.  
 Nil mundi illecebris, nihil est terroribus actum,  
 Omnia sed caeli tristia vincit amor.  
 Vestra nec angusto virtus se limite clausit:  
 Spargitur & terris, spargitur illa polo.  
 Vos gentes scelerum fœdis erroribus actas,  
 Ducitis ad verae munera sancta via.  
 Soluitis oppressas alta caligine gentes;  
 Mentibus & lucem, pectoribusq; datis.  
 Vos summi decreta Dei vulgatis, & orbi  
 Panditis ingenti fata futura fide.  
 Quaeq; salus terras caelo promissa maneret,  
 Mitteret è patrio quam Deus ipse sinu,  
 Conditor ut summo mortalia nomina caelo  
 Iungeret, & vinctum solueret auctor opus.  
 Non sunt sancta tamen scelerato oracula mundo  
 Cognita, quem semper noxius error agit.  
 Sed pura scelerum mentes sensere, Deiq;  
 Munera constanti continuere fide.  
 At vos caelestes anima sperata tenetis  
 Sidera, iustitiam premia tanta manent.



*Quis scelerum furis populos & regna perire  
Ambigat? & fontes noxia fata sequi?*

*Cernitis*

Cernitis Isacidum captas cum gentibus vrbes,  
 Imperij totum deficientis opus.  
 Nam meriti sors illa fuit, data regna manebant,  
 Dum sanctæ pietas religionis erat.  
 Aucta peregrino scelerum vesania luxu est,  
 A supera meritis sæuiit arce furor.  
 Sacrorum regniq̄ue decus Babylonius hostis  
 Abstulit, & prædæ gens miseranda fuit.  
 Vrbs Solymùm flamma, & sæuis populata ruinis  
 Imperij facies fæda ruentis erat.  
 Illa mihi, commune malum licet omnibus esset,  
 Maior inexhausti caussa doloris erat.  
 Orabam cælo veniam, finemque malorum,  
 Atque aderant lacrymis publica vota meis.  
 Audiit illa Deus, regemque ex hoste benignum  
 Reddidit, vt captis mitior ille foret.  
 Illius imperio Solymorum mœnia rursum  
 Condimus, & cinctum milite feruet opus.  
 Desuper illabens cælo nos gratia firmat,  
 Hostiles contra nil valere minæ.  
 Mœnia iam stabant, leges induximus vrbi,  
 Et præscos ritus, sanctæque iussa Dei.  
 Sic iterum firmata nouo resp̄blica cultu  
 Floruit, atque Dea vindice tuta fuit.  
 Exoriare aliquis qui iura regentia terras  
 Nunc iterum iusta vindicet vnus ope;  
 Vt decus antiquum laudato surgat ab æuo:  
 Sic mæsti facies latior orbis erit.

Efdz 2, &  
 sequent.



*Si vite series semper mihi lata fuisset,  
Virtutis tacitum delituisset opus.*

*Nunc*

Nunc eadem grauibus rerum perculsa procellis  
 Tollitur, & recti non leue nomen habet,  
 Diuite florebam cultu, natisq; beatus;  
 Sorte q; felici conspiciendus eram.  
 Pascebant latis pecorum mihi millia campis,  
 Septa ferè innumerum non tenuere gregem.  
 Omnia contigerant, & gaza diuite rerum,  
 Nullus in Eoo clarior orbe fuit:  
 Sed pia mens, iussisq; fides caelestibus hærens  
 Floruit, haud ullis debilitanda malis.  
 Inuidet his Satan donis, cupideq; petent i  
 Tentandi nostri munus ab axe datur.  
 Nec mora, quin rapida molitus tristia dextra,  
 Infestas nobis intulit ille manus.  
 Tecta ruunt, natiq; cadunt, sed pectore firmo  
 Inuicta virtus perstitit alta fide.  
 Tum grauiora ferox intentat, & ulcere corpus  
 Aegraq; pestifero membra tumore coquit.  
 Conqueror, atque animi dolor impatientior a quo est:  
 Nam mala non videor tot meruisse pati.  
 Hoc probat ipse Deus, miseri causamq; tuetur;  
 Ille meas partes auxiliator agit.  
 Omniaq; amissis maiora prioribus addit,  
 Amplas & multo fænore reddit opes.  
 Proueniunt nati, seræ decora vltima vita,  
 Letaq; pacato reddita cuncta Deo.  
 Tristia sepe pios exercent fata. Sed vna  
 Illorum Deus est gloria, vita, salus.

TOBIAS.





Tobias 1, &  
sequent.

*Anxia si rerum numerentur fata mearum,  
Omne genus miseri vita laboris habet.*

At

At si cura Dei, pia si clementia cali  
 Spectetur, vero fors mea leta bono est.  
 Assyrias mihi triste fuit captum isse sub oras,  
 Regis & infestas pertimuisse manus.  
 Hinc oculis grauiore malo caligine pressis,  
 Omne genus duri mente subisse mali.  
 Robore firma suo sed mens interrita perstat;  
 Et rerum varias despicit alta vices.  
 Hæc uni defixa Deo, discrimina rerum  
 Spernit, & à vera spem pietate trahit.  
 Nec cum turba foret sacris operata profanis,  
 A cultu veri vertitur illa Dei.  
 Utq; Deo, sic grata etiam mortalibus agris  
 Omnibus & miseris officiosa fuit.  
 Ergo mihi astriferi famulata potentia regni est,  
 Partibus & calum seruiit omne meis.  
 Utq; salus quaesita polo, sic ferret ut illam  
 Aliger à supera mittitur arce puer.  
 Hic natum latis rerum successibus implet,  
 In Medos longum cum sequeretur iter.  
 Coniugioque beat, monstri de fauce tuetur,  
 Atque bona repetit dena talenta fide.  
 Et mihi leta salus oculis caligine dempta  
 Redditur, atque vigor qui fuit antè, manet.  
 Vna salus inter miseri discrimina mundi,  
 Excelso pura viuere mente Deo.  
 Nam quibus à superis animi fiducia pendet,  
 Cælesti nunquam destituuntur ope.

MATA.



1. Machab. 2 *Ergone suprema fuit hac fortuna senectæ,  
Debita vel vitæ sors fuit illa mea?*

*Gentis*

Gentis vt extinctum Solymæ decus omne viderem,  
 Et Iudæa graui sceptrâ subacta manu.  
 Tristia sufficient iustæ quæ verba querelæ?  
 Quôq; satis luctus eloquar ore meos?  
 Vidimus Antiochi furiis infanda parari,  
 Atque graui Solymas obsidione premi.  
 Vidimus & direpta sacri donaria templi,  
 Raptaq; sacrilega vasa sacrata manu.  
 Et nostros idola sequi: sic impius vrget  
 Victor, & inuitos ad sua sacra trahit.  
 Cæsa virum totis iacuere cadauera campis,  
 Iussa feri regis qui renuere sequi.  
 Ipse ego sollicitor patrio desciscere cultu;  
 Vinat vt exemplo cætera turba meo.  
 Sed celo defixa fides parere recusat,  
 Totus in has partes quamlibet orbis eat.  
 Exemplumq; dedi, iustum dolor ipse furorem  
 Mouerat, & merito sæuior ira fuit.  
 Ense meo iacuit fœdas truncatus ad aras,  
 Thure dato falsos ausus adire deos.  
 Additur huic vnâ fati comes ipse minister  
 Regius, audaci sternitur atque manu.  
 Vltiorq; mihi ferro vindicta parata est,  
 Et bellum sancta pro pietate fuit.  
 Vt potui certè, senio defessus & annis,  
 Afferui veræ relligionis opus.  
 Hinc mihi fama manet terris, & gloria celo:  
 Ille locus nostræ fata salutis habet.

IUDAS



2. Machab. 3. Ille ego qui patrio lectus successor honori,  
 & sequent. Atque trucem belli ductor in Antiochum.

Qui

Qui patrias vindex defendi fortiter aras,  
 Straui magnanima castra superba manu.  
 Nulla meis quanquam queratur gloria factis,  
 Gloria nam summo conuenit vna Deo.  
 Induit arma pater desueta senilibus annis,  
 Fortiter & sancta pro pietate tulit.  
 Hoc moriente mihi bellorum cura relicta est,  
 Inq; meis humeris grande resedit onus.  
 Omnia sub leges ierant victoris iniqui,  
 Ille ferox victis tristia iura dabat.  
 Iam Solymos populatus agros, arcemque Siona,  
 Nobilis & templi verterat omne decus.  
 Ante oculos passim patriae labentis imago,  
 Squallor & extincta relligionis erat.  
 Nos iusta contra arma manu, bellumque mouemus,  
 Tendimus & caelo brachia, vota damus:  
 Ferret opem genitor, tumidumque coërceat hostem;  
 Adserat inuicta pectora iusta manu.  
 Audiit e caelo, res & miseratus acerbas,  
 Cladibus hostiles perculit ipse manus:  
 Atque ita felici victoria parta triumpho est,  
 Marte meo passim barbarata turba iacent.  
 Victori, sacris detractum nuper honorem  
 Reddere, solliciti summa laboris erat.  
 Vindice sic ferro, bellis horrentibus, acta  
 Pro patria vita est relligione mihi:  
 Nec graue tam iustis animam posuisse sub armis,  
 Nam caelo melior vita parata mihi est.

1 Mach. 9.

FINIS.

GLORIA TIBI DOMINE.

F DEO

## DEO OMNIPOTENTI

SACRVM.

Aloisius, Lu-  
douicus est,  
auctor operis

AVREA sidereis aurora refulserat oris,  
 Vere nouo, noctemq; polo, terrisq; fugarat;  
 Cum captus mira vernantis imagine mundi  
 Propter aquam patrio residens Aloisius horto,  
 Diuinum celi ac terræ miratur honorem.  
 Interea sua fata graui cum corde volutans,  
 Eos sese cæli conuertit ad ortus,  
 Vota ferens, tristesq; hos fudit ad æthera questus:  
 Exere speratum cælesti munere lumen,  
 Omnipotens, miti terras & numine lustra.  
 Utq; serenato radiis flagrantibus orbi  
 Sol oritur, superatur hiems, noua gloria mundo;  
 Et vernus reparatur honos, latissima terris  
 Stat facies, præta & colles, & rura nitescunt:  
 Sic tua, mite Deus numen, clementia, letum  
 Proferat os, & se terras diffundat in omnes:  
 Hæc mæstas abigat tenebras, tristesq; labores,  
 Aethereaq; nouas collustret lampade mentes.  
 Nam quæ nos facies eladum, diraq; malorum  
 Infestant fætas vitiis & crimine terras?  
 Omniaq; inuoluunt. Sic formidata malorum  
 Fata agitant cunctas bellis & cadibus oras,  
 Morbidaq; exanimant lethali corpora tabe.  
 Sic tristis sine fruge famas latè omnia torquet.  
 Non tu caussa mali genitor, qui cuncta serenas,  
 Utq; pios laxata sinus, sua pignora mater  
 Confouet, ac blandis tutans amplectitur vlnis:  
 Sic pietate tua rerum dura omnia vertis,  
 Iustitiaq;

Iustitiâq; tua miseros & numine firmas.  
 Nos scelere impulsî iustas accersimus iras,  
 Et meritis luimus pœnis commissa nocentes.  
 Sed quoniam grauibus perculsi pectora curis  
 Tendimus ad calum dextras, veniamq; rogamus:  
 Aspice sollicita pressas formidine mentes,  
 Et tristes auerte minas, atque aspera mulce.  
 Vincat ad extremum pietas, seq; ardua tollat;  
 Atque tuis dulcem referat cum pace quietem:  
 Hos me inter, quanquam fontem, tua dextera firmet.  
 O vitæ spes vna meæ, tua numina grato  
 Sic cultu, & dulci semper venerabor amore.  
 Et quoniam nostræ, in senium vergentibus annis,  
 Declinant vitæ spatia, angustiq; feruntur  
 Limite, tu mæsta præfer tua lumina menti,  
 Ne procul auersam celo, mors dira fatiget:  
 Sed reuerente animo semper tuâ iussa secutum  
 Spiritus intus alat: vitæq; alimenta ministret  
 Tempore quæ nullo, non vlllo defluat æuo.  
 Quicquid erit mortale, leues solvatur in auras,  
 Cum statues, aderit nostri cum terminus æui.  
 Tu saltem placido languentem & acerba gementem  
 Aspicias vultu, extremum miserate laborem:  
 Felicemq; animam celesti in lumine sistas.  
 Hic ego charorum genios, atque ora parentum  
 Agnoscam. Vos ô nato gaudete recepto:  
 Et dum summa dies alto nos æthere iunget,  
 Accipite has laudum inferias. Sint nomina summo  
 Vestra licet descripta polo, tamen addita paucis  
 Verba, notent patrium iusto de more sepulcrum.  
 Aeternus nato & patriæ dolor occidis, altis

Antonio  
 Hillesemio  
 A. viro con-  
 sulari, op:  
 patri vita de-  
 functo 1554,  
 20. Februarij



*Addite calitibus. te relligione potentem,  
Antoni pietas, felicibus intulit astris.*

Sibylla Zi-  
chling, pien-  
tissimæ ma-  
tri defunctæ,  
1563, 9. Iunij

*Mater num̄ ast tumulū hi versus in marmore signet:*

*O multum dilecta parens, quæ clara Sibyllæ*

*Nomine, post æni spatium sublimibus astris*

*Addita, fers sanctæ caelestia munera vitæ.*

*Me quoque cūm diuinam manus de corpore mortis*

*Soluerit, hæc nostro sint addita pauca sepulchro.*

*Vixi mente bona, fata inter noxia mundi,*

*Mente bona mortor, quoniam Deus omnia nobis*

*Et fuit, & nostri est merces æterna laboris.*

*Sic fatus, patrio perstans Aloisius horto*

*Desiit, & magno cali succensus amore,*

*Hæc animi signata sui monimenta reliquit.*

FINIS.

EX LIBRO ECCLESIASTICO  
IESV FILII SYRACH.

Laus Sanctorum, præsertim Enoch, Noë,  
Abraham, Isaac & Iacob.

## CAPVT XLIIII.

**L**AVDEMVS viros gloriosos & parètes nostros  
in generatione sua. Multam gloriam fecit Domi-  
nus magnificentia sua à seculo. Dominantes in pote-  
statibus suis homines magni virtute, & prudētia sua  
præditi nuntiantes in Prophetis dignitatē Prophetarum,  
& imperantes in præsentī populo, & virtute  
prudentiæ populis sanctissima verba. In pueritia sua  
requirētes modos musicos, & narrātes carmina Scri-  
pturarū. Homines diuites in virtute pulchritudinis  
studiū habentes, pacificantes in domibus suis. Omnes  
isti in generationibus gentis suæ gloriam adepti sunt,  
& in diebus suis habentur in laudibus. Qui de illis  
nati sunt, reliquerunt nomen narrādi laudes eorum.  
Et sunt quorum non est memoria; perierūt quasi non  
fuerint; & nati sunt quasi non nati, & filij eorū cum  
ipsis. Sed illi viri misericordiæ sunt, quorum\* pietates  
non defuerunt. Et cum semine eorum permanet bona  
hereditas, & nepotum ipsorum semen in testamento  
stetit, & filiorū ipsorum semen propter filios in æter-  
num manet: semen eorum & gloria eorum non dere-  
linquetur. Corpora eorum in pace sepulta sunt, et no-  
men eorum viuet in generationem & generationem.  
Sapientiam ipsorum narrent populi, et laudem ipsorū  
nuntiet Ecclesia. Henoch placuit Deo, & translatus  
est in paradysum, vt det gentibus sapientiam. Noë in-

\* Græci, lu-  
sticiæ non  
sunt obli-  
uioni tra-  
dita.

Genes. 5.  
Genes. 6.

uentus est perfectus iustus, & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio. Ideo dimissum est reliquū terræ, cum factum est diluuiū. Testamenta seculi posita sunt apud illum, ne deleri possit diluuiio omnis caro.

Genes. 17.

Abraham magnus pater multitudinis gentiū, & non est inuētus similis illi in gloria. Qui conseruauit legem excelsi, & fuit in testamento cum illo. In carne eius stare fecit testamentum, & in tentatione inuentus est fidelis. Ideo iureiurando dedit illi gloriam in gente sua, crescere illum quasi terræ cumulum, & ut stellas exaltare semen eius, & hereditare illos à mari vsque ad mare, et à flumine vsque ad terminos orbis

Genes. 26.

terræ. Et Isaac eodem modo fecit, propter Abraham patrem eius. Benedictionem omnium gentium dedit illi

Genes. 28.

Dominus: & testamentum suum confirmauit super caput Iacob. Agnouit eum in benedictionibus suis, et dedit illi hereditatem, & diuisit illi partem in tribubus duodecim. Et conseruauit illi homines misericordiæ inuenientes gratiam in oculis omnis carnis.

### De laudibus Mosis, Aaronis & Phinees.

#### CAPVT XLV.

Numeri 12.  
Exodi 11.

DILECTVS Deo & hominibus Moses, cuius memoria in benedictione est. Similem illum fecit in gloria sanctorū, & magnificauit eum in timore inimicorum, & in verbis suis monstra placauit. Glorificauit illum in conspectu regum, & iussit illi coram populo suo, & ostendit illi gloriam suā. In fide & lenitate ipsius sanctum fecit illū, et elegit eum ex omni carne. Audiuit enim eum, & vocē ipsius, & induxit illum in nubem. Et dedit illi cor ad præcepta, et legem

vita

vita & disciplina docere Iacob testamentum suum,  
& iudicia sua Israël. Excelsum fecit Aaron fratrem Exodi 28.  
suum, & similem sibi de tribu Leui. Statuit ei testa-

mentum aeternum, & dedit illi sacerdotium gentis,  
& beatificauit illum in gloria. Et circumcinxit eum  
zona iustitia, & induit eum stola gloria, & corona-  
uit eum in vasis virtutis. Circumpedes et femoralia,  
& humerale posuit ei, & cinxit eum tintinnabulis  
aureis plurimis in gyro dare sonitum in incessu suo,  
auditum facere sonitum in templo, in memoriã filiis  
gentis suae. Stolam sanctã, auro & hyacintho & pur-  
pura, opus textile, viri sapientis, iudicio & veritate  
præditi. Torto cocco opus artificis, gemmis pretiosis fi-  
guratis, in ligatura auri, & opere lapidarij sculptis  
in memoriã, secundum numerum tribuum Israël.

Corona aurea super mitram eius, expressa signo san-  
ctitatis, & gloria honoris, & opus virtutis, desideria  
oculorum ornata. Sic pulchra ante ipsum non fuerunt  
talìa vsque ad originem. Non est indutus illa alieni-  
gena aliquis, sed tantum filij ipsius soli, & nepotes  
eius, per omne tempus, sacrificia ipsius consummata  
sunt igni quotidie. Compleuit Moses manus eius, &  
vnxit illum oleo sancto. Factum est illi in testamentũ Leuit. 8.  
aeternum, & semini eius sicut dies cæli fungi sacer-

dotio, & habere laudẽ, & glorificare populum suum  
in nomine suo. Ipsum elegit ab omni viuente offerre  
sacrificium Deo, incensum & bonum odorem in me-  
moriã placare pro populo suo. Et dedit illi in præce-  
ptis suis potestatem in testamentis iudiciorum, docere Numeri 16.  
Iacob testimonia, & in lege sua lucem dare Israël.

Quia contra eum steterunt alieni, & propter inui-

F 4 diam

diam circumdederunt illum homines in deserto, qui erant cum Dathan & Abiron, & cōgregatio Chora in iracundiam. Vidit Dominus Deus, et non placuit illi, & consumpti sunt in impetu iracūdiæ. Fecit illis monstra, & consumpsit illos in flamma ignis. Et addidit Aaron gloriam, & dedit illi hereditatē & primitias frugum terræ diuisit illi. Panem ipsius in primis parauit in satietatem: nam & sacrificia Domini edent qui dedit illi & semini eius. Ceterū inter gentes non hereditabit, & pars non est illi in gente. Ipse est enim pars eius, & hereditas. Phinees filius Eleazari tertius in gloria, imitando eū in timore Domini, & stare in reuerētia gentis, in bonitate & alacritate animæ suæ placuit Deo Israël. Ideo statuit illi testamentum pacis, & principē sanctorum, et gentis suæ, ut sit illi & semini eius sacerdotij dignitas in æternum. Et testamentum Dauid regis filij Iesse, de tribu Iuda, hereditas ipsi & semini eius, ut daret sapientiā in cor nostrum, iudicare gentem suam in iustitia, ne abolerentur bona ipsorum, & gloriam ipsorum in gentem eorum æternam fecit.

Numeri 25.

Laus Iosue, Caleb & Samuelis, CAP. XLVI.

FORTIS in bello Iesus Naue, successor Mosi in Prophetis, qui fuit magnus secundum nomen suum, maximus in salutem electorū Dei, expugnare insurgentes hostes, ut consequeretur hereditatem Israël.

Iosue 3.

Iosue 10.

Quam gloriam adeptus est in tollendo manus suas, & iactando contra ciuitates rhomphæas. Quis ante illū sic restitit? Nam hostes ipse Dominus percussit. An non in iracundia eius impeditus est sol, & una dies

dies facta est quasi duo? Inuocauit altissimum potentem in oppugnando inimicos undique, & audiuit illum magnus, & sanctus Deus, in saxo grandinis virtutis valde fortis. Impetum fecit contra gentem hostilem, & in descensu perdidit contrarios, ut cognoscant gentes potentiam eius, quia contra Deum pugnare non est facile, & secutus est à tergo potētes. Et in diebus Mosi misericordiam fecit ipse, & Caleb Numeri 13. filius Iephonna, stare contra hostem, & prohibere gentem à peccatis, & perstringere murmur malitia. Et ipsi duo constituti à periculo liberati sunt à numero sexcentorum milium peditum inducere illos in hereditatem, in terrā quæ manat lac et mel. Et dedit Dominus illi Caleb fortitudinem, & usque in senectutē permansit illi virtus, ut ascenderet in excelsum terræ locum, & semen ipsius obtinuit hereditatem. Et viderunt omnes filij Israël, quia bonum est obsequi sancto Deo. Et Iudices singuli suo nomine, quorum non est corruptum cor, qui non auersi sunt à Domino, ut sit memoria illorum in benedictione. Et ossa eorū pululant de loco suo, & nomē eorum permanet in æternum, permanente ad filios illorum sanctorum virorū gloria. Dilectus à Domino Deo suo Samuel propheta Domini renouauit imperium, & unxit principes in gente sua. In lege Domini congregationem iudicauit, & vidit Deum Iacob, et in fide sua probatus est Propheta. Et cognitus est in verbis suis fidelis, quia vidit Deum lucis. Et inuocauit Dominū omnipotentem in oppugnando hostes circumstantes undique in oblationem viri inuiolati. Et intonuit de celo Dominus, & in sonitu magno auditam fecit vocem suam, & con-

1. Reg. 17.  
1. Reg. 12.  
1. Reg. 25.

triuuit principes Tyrriorū, & omnes duces Philistijm. Et ante tempus finis vitæ suæ & seculi testimonium præbuit in conspectu Domini & Christi. Pecunias & vsque ad calceamenta ab omni carne non accepit, & non accusauit illum homo. Et post hæc dormiuit, & notum fecit regi, & ostendit illi finem vitæ suæ: & exaltauit vocem eius de terra in prophetia delere impietatem gentis.

Laudes Nathan, Dauid, Salomonis. vituperium Roboam & Hieroboam. CAP. XLVII.

1. Reg. 18.

POST HÆC surrexit Nathan propheta in diebus Dauid. Et quasi adeps separatus à carne, sic Dauid à filiis Israël. Cum leonibus lusit quasi cū agnis, & in ursis similiter fecit sicut in agnis ouium. In iuentute sua nunquid occidit gigantē? & abstulit opprobrium de gente? In tollendo manū in saxo funda deiecit exultatione Golia, ubi inuocauit Dominum omnipotentem. Et dedit in dextra eius tollere hominē fortem in bello, & exaltare cornu gentis suæ. Sic in decem millibus glorificauit eum, & laudauit eum in benedictionibus Domini, in offerendo illi coronam gloriæ. Contriuit enim inimicos undique, & extirpauit Philistijm contrarios, vsq; in hodiernum diem. Contriuit cornu ipsorum vsq; in aeternum. In omni opere dedit confessionem sancto & excelsio in verbo gloriæ. De omni corde suo laudauit Dominum, et dilexit eum qui fecit illum, & dedit illi contra inimicos potentiam. Et stare fecit cantores contra altare, & in sono eorum dulces fecit modos, & dedit in celebrationibus decus, & ornauit tempora vsque in consummationem

inationem vitæ, ut laudaret nomen sanctum Domini,  
 & amplificarent manum Dei sanctitatem. Christus  
 purgavit peccata ipsius, & exaltauit in æternum cor-  
 nu eius. Et dedit illi testamentum regni, & sedem glo-  
 riæ in Israël. Post ipsum surrexit filius sensatus, &  
 propter illum deiecit omnem potentiam inimicorum. 2. Reg. 18.

Salomon imperauit in diebus pacis, cui subiecit Deus  
 omnes hostes, ut conderet domum in nomine suo, &  
 pararet sanctitatem in sempiternum, quemadmodum  
 eruditus est in iuuentute sua. Et impletus est quasi  
 flumen sapientiæ, et terram retexit anima sua. Et re-  
 plesti in comparationibus anigmata, ad insulas longè  
 diuulgatum est nomen tuum, & dilectus es in pace  
 tua. In cantilenis, in prouerbis & comparationibus,  
 & interpretationibus mirata sunt terra, & in no-  
 mine Domini Dei cui est cognomen Deus Israel. Col. 3. Reg. 18.

legisti quasi aurichalcum aurum, & ut plumbum com-  
 plesti argentum. Et inclinasti femora tua mulieribus.  
 Potestatem habuisti in corpore tuo. Dediisti maculam  
 in gloria tua, & profanasti semen tuum, inducere  
 iracundiam ad liberos tuos, & in ceteris stultitiam  
 tuam, ut faceres imperium bipartitum, & ex Ephraim  
 imperare imperium durum. Deus autem non dere- 3. Reg. 12.

linquet misericordiam suam, & non corrumpet, nec  
 delebit opera sua, neque perdet à stirpe nepotes electi  
 sui, et semen eius qui diligit Dominum, non corrup-  
 pet. Dedit autem reliquum Iacob & Dauid de ipsa  
 stirpe. Et finem habuit Salomon cum patribus suis.  
 Et dereliquit post se de semine suo gentis stultitiam,  
 & imminutum à sua prudentia Roboam, qui auertit  
 gentem consilio suo, & Ieroboam filium Nabath, qui  
 peccare



peccare fecit Israël, & dedit viã peccandi Ephraim, & plurima redundauerunt peccata ipsorum. Valde enim auerterunt illos à terra sua. Et quæsiuit omnes nequitiã, vsque dum perueniret ad illos defensio, et ab omnibus peccatis liberauit eos.

Eliaë, Elisei, Hezechiaë, & Esaiaë laudes.

CAPVT XLVIII.

ET surrexit Elias propheta quasi ignis, & verbũ ipsius quasi facula ardebat. Qui induxit in illos famẽ; & imitantes illum inuidia sua pauci facti sunt. Non enim poterant sustinere præcepta Domini. Verbo Domini contumax, et deiecit à se ignẽ terrã. Sic amplificatus est Elias mirabilibus suis. Et quis <sup>1. Reg. 17.</sup> potest similiter sic gloriari tibi? Qui sustulisti mortuũ ab inferis, de sorte mortis in verbo Domini Dei, qui deiecisti reges ad perniciem, & confregisti facile potentiam ipsorum, et gloriosos de lecto suo. Qui audisti in Sina iudicium, & in Horeb iudicia defensionis. Qui ungis Reges ad pœnitentiam, & Prophetas facis successores post te. Qui receptus es in turbine ignis, in curru equorum igneorum, qui inscriptus es in iudiciis temporum lenire iracundiã Domini, conciliare cor patris ad filium, et restituere tribus Iacob. Beati sunt qui te viderunt, & in amicitia tua decorati sunt. Nam nos vita viuimus tantum, post mortẽ autem non erit tale nomẽ nostrum. Elias qui in turbine tectus est, & in Eliseo cõpletus est spiritus eius. In diebus suis non pertimuit principem, & potentia nemo vicit illum, nec superauit illum verbũ aliquod, et mortuum prophetauit corpus eius. In vita sua fecit  
monstra,

monstra, & in morte mirabilia operatus est. In omnibus istis non pœnituit populus. & non recesserunt à peccatis suis, usque dum abiecti sunt de terra sua, & dispersi sunt in omnem terram, & relicta est gēs per pauca, & princeps in domo Dauid. Quidam eorū fecerunt quod placeret Deo, alij autem multa commiserunt peccata. Hezechias muniuit ciuitatem suam, & induxit in medium ipsius aquam, & fodit ferro rupem, et ædificauit ad aquam puteū. In diebus ipsius ascendit Sennacherib, & misit Rapsacem, & sustulit <sup>4. Reg. 18.</sup> manum suam contra illos, & extulit manum suam in Sion, et superbus factus est potentia sua. Tunc mota sunt corda & manus ipsorum, & doluerunt quasi parturientes mulieres. Et inuocauerunt Dominum misericordem, & expandentes manus suas extulerūt ad cælum, & sanctus Dominus Deus audiuit citò vocem ipsorum. Non est commemoratus peccatorum illorū, neq; dedit illos inimicis suis, sed purgauit illos in manu Esaiæ sancti propheta. Deiecit castra Assyriorum, & contriuit illos angelus Domini. nam fecit Hezechias quod placuit Deo, et fortiter iuit in via Dauid patris sui, quam mandauit illi Esaias propheta magnus, et fidelis in cōspectu Dei. In diebus ipsius retro rediit sol, & addidit regi vitam. Spiritu magno vidit vltima, & consolatus est lugentes in Sion usq; in sempiternum. Ostendit futura & abscondita antequam euenirent.

Inter

Inter omnes reges tres iusti reperti solummodo.  
Hieremiæ, Ezechielis, Duodecim Prophetarum,  
Zorobabel, Nehemiæ, Enoch, Ioseph, Semi, & Seth, Laudes.

## CAPVT XLIX.

MEMORIA Iosia in compositione odoris facta  
opus pigmentarij. In omni ore quasi mel indulcabitur  
eius memoria, & ut musica in conuiuio vini. Ipse est  
directus diuinitus in pœnitentia gentis, & tulit abo-  
minationes impietatis. Et gubernauit ad Dominum  
cor ipsius, & in diebus peccatorum corroborauit pie-  
tatem. Præter Dauid, & Hezechiam, & Iosiam,  
omnes reges peccatum commiserunt: nam reliquerunt  
legem altissimi reges Iuda, et contempserunt timorem  
Dei. Dederunt enim regnum suum alij, & gloriam  
suam alienigenæ genti. Incenderunt electam ciuitatē  
sanctitatis, & desertas fecerunt vias ipsius in manu  
Hieremiæ. Nam male tractauerunt illum, qui à ven-  
tre matris consecratus est Propheta, euertere, et erue-  
re, & perdere, & iterum ædificare et renouare. Eze-  
chiel qui vidit conspectum gloriæ, quam ostendit illi  
in curru Cherubim. Nam commemoratus est inimi-  
corum in imbre benefacere illis, qui ostenderunt re-  
ctas vias. Et duodecim Prophetarum ossa pullulant  
de loco suo. Nam corroborauerunt Iacob, & redeme-  
runt se in fide virtutis suæ. Quomodo amplificemus  
Zorobabel, nam & ipse quasi signum in dextera ma-  
nu Israël. Et Iesum filium Iosedec. Qui in diebus  
suis ædificauerunt domum, et exaltauerunt templum  
sanctum Domino paratum in gloriam sempiternam.  
Et Nehemias in memoria multi temporis, qui erexit  
nobis

Hierem. 38.  
Ezech. 10.

1. Esdr. 5.  
Aggzi 2.

nobis muros euersos, & stare fecit portas & seras;  
 qui erexit domos nostras. Nemo natus est in terra  
 qualis Henoch; nam & ipse receptus est à terra. Et  
 Ioseph, qui natus est homo princeps fratrum, firma- Genes. vii.]  
 mentum gentis, rector fratrum, stabilimentum po-  
 puli, & ossa ipsius visitata sunt, & post mortem pro-  
 phetauerunt. Seth & Sem apud homines gloriam  
 adepti sunt, & super omnem animam in origine  
 Adam.

Hactenus ex Ecclesiastico.

F I N I S.

CARMEN hoc de Sanctorum laudibus est pium  
 & catholicum: quod attestor


*Walterus vander Steeghen, S. Theol.  
 Licentiatus, Canonicus Antuerpiensis.*


Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.


Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.


Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.











Hillesheim  
Sacrarum An-  
tiquitatum monu-  
menta

Primum Opus  
Solalia

Th

5809



Sacrum  
Antiquar.  
Museum

V. 1. 1.